

VERZEICHNISS
DER
VORLESUNGEN

WELCHE
AN DER KÖNIGLICH-BAYERISCHEN
JULIUS-MAXIMILIANS-UNIVERSITÄT

ZU
WÜRZBURG
IM WINTERSEMESTER 1845/46

GEHALTEN WERDEN.

MIT EINER ABHANDLUNG DES PROFESSORS DR. REUTER
„INTRODUCTIO HISTORICA IN DEMOSTHENIS ORATIONEM DE CORONA“.

WÜRZBURG
GEDRUCKT BEI FRIEDRICH ERNST THEIN.

1845.

Das Semester beginnt gesetzlich am 18. October.

INTRODUCTIO HISTORICA IN DEMOSTHENIS ORATIONEM DE CORONA.

Quum mecum statuerim, eo, qui sequitur, anno Demosthenis orationem de corona ita cum iis legere, qui profiteri philologiae studium vellent, ut hi in verborum rerumque explicatione diligentius immorarentur ac disputandi inde materiam sumerent, haud inutile factu putavi, si praemitterem expositionem rerum Philippicarum, quae inde ab initio belli Amphipolitani, quod dicunt, deinceps gestae essent usque ad id tempus, quo illa oratio habita est. Tanta enim copia rerum historicarum in hac oratione tamque contorta earum ratio est ac difficilis, ut ne doctissimorum quidem hominum sagacitas omnes adhuc explicare potuerit. Nec vero perspicere quisquam et satis intelligere hanc orationem potest, nisi qui accuratam rerum gestarum intelligentiam habet, id quod constat inter omnes, qui in Demosthenis lectione versantur. Nemo autem adhuc, quod sciam, inventus est, qui libello facile parabili narrationeque aperta omnes illas res eo temporis ordine, quo deinceps gerebantur, exposuerit ita, ut aliae ex aliis nexae et omnes inter se aptae colligataeque viderentur, qua fere una ex re facilis orationis intelligentia oritur. Jam quum pro ea ratione, quam per longius temporis spatium in legenda illa oratione et exponenda instituiam, nullo modo in

tanta rerum copia et difficultate sufficiat, initio scholarum paucis illas verbis narrare, quippe quae facile animo excidant, hoc opus suscepi, ut adumbrarem eas res, quae causam maxime continerent. — Haec fere habui, quae dicerem de eo, quod hanc materiam programmatis scribendi sumssem. Adminiculis autem usus sum maxime iis, quae *Winiewskius* in commentariis suis, *Flathius* in historia Macedoniae, *Dissenius* in editione et *Jacobsius* in translatione hujus orationis dispersa habent, atque eam rationem instituendam putavi, ut sine inani doctrinae quadam venditione i. e. sine coacervato librorum locorumque cumulo ita singulae res describerentur, ut brevi in conspectu positae essent. Nunc ad propositum venio. —

§. 1. *Philippus*, Amyntae II. filius, quum obses Thebas a Pelopida esset abductus, in domo Epaminondae liberali usus est disciplina, ad ejusque exemplum se conformare studuit. Post tres annos reversus est in Macedoniam, ut tutor Amyntae III., qui erat filius fratris sui, existeret. Paulo post quum oppressisset *Pausaniam* et *Argaeum*, duos regni competitores, Atheniensibus, qui huic spe recuperandae Amphipolis auxilio fuerant, devictis ita, ut captos sine pretio redderet, sed liberam declararet Amphipolin, eloquentia, comitate, liberalitate, prudentia, aliis virtutibus ita Macedonum animos cepit, ut ii regnum, Amynta puerulo neglecto, ad ipsum deferrent (Ol. CV, 2. a. Chr. 359). His ita compositis, ne posthac Macedonia finitimarum gentium impetibus laboraret, *Paeones* et *Illyrios* fudit ac praecipuam curam in comparando magno exercitu ac forti collocare coepit. Nam mature in animum induxit, ut Graeciae si non imperium, tamen principatum obtineret, id quod in magna, quae tum inter Graecas civitates erat, discordia facile se esse consecuturum putavit. Dem. de cor. §. 18. Quam quidem discordiam tam callide aluit, ut, dum illi pugnabant inter se viresque frangebant, ipse communis libertatis tutor a multis haberetur ac modo hac

modo illa civitate, ut res postulare viderentur, adjuncta omnes denique debilitaret. Dem. de cor. §. 61. Erat autem in pugna manu fortis, promptus in rebus gerendis et callidus, in persequendis consiliis constans; quae apud animum suum statuerat, ea celare solebat celeriterque perficere. Neque vero erat alienus ab iis artibus, quae pertinent ad humanitatem ac multos Graecos secum ex genere doctissimorum habebat. Cic. de off. II, 15. Isocrat. ad Phil. §. 19. Aristoteli autem, summo illi Graeciae viro, Alexandrum filium erudiendum tradidit. Praeterea sub ejus imperio valde mercatura floruit et agricultura, ac Macedones in civitatibus humanitate excultis esse coeperunt. Sed tales ejus virtutes vitiis sunt contaminatae. Nam quum insatiabili cupiditate occupandi flagraret animoque ad res gerendas prompto praeditus, esset, omnibus, quibuscunque poterat, rebus se immiscebat ac perinde ducebat, qua, quod vellet, ratione, aut quo periculo laboreque consequeretur. Dem. de cor. §. 67. Itaque proditorem non repudiabat et ubique locorum in Graecia proditores sibi paravit, quorum atrum catalogum ex ingenio amplificavit, ut Valckenarius in oratione de Philippi Amyntiadae indole et virtutibus p. 241 dicit. Dem. de cor. §. 295. Quamquam proditores ipsos aspernabatur et solebat abjicere, postquam eorum opera usus erat. Dem. de cor. §. 40 sq. Pacem semper in ore, in pectore bellum habebat, nec confidebat cuiquam; homines autem quasi instrumenta quaedam cupiditatis suae esse opinabatur. Dem. Phil. III. §. 8. 17. Crudelis et injustus vel in cognatos fuit ac sanctissima saepe foedera ex arbitrio fregit. Quanta denique in eo intemperantia bibendi, quanta libidines fuerint, satis inter omnes constat. Dem. Olynth. II. §. 18 sq. Phil. II. §. 20 sqq. — Sed ad res gestas redeamus. —

§. 2. Is igitur Philippus, postquam res domesticas composuit, mox nactus est opportunitatem, rebus Thraciis se immiscendi. Nam quum *Cotys*,

rex Thraciae, Chersonesum bello Peloponnesiaco sibi subjecisset, Athenienses, quorum illa ex antiquissimis temporibus fuerat, postea omnibus viribus nisi sunt, ut eam reciperent, id quod iis post Cotyis mortem, controversiis inter tres ejus filios exortis, ita contigit, ut *Cardia*, quae urbs sita erat in finibus Thraciae et Chersonesi, et a Demosthene (adv. Aristocr. §. 181) *ὀρμητήριον* vocatur totius insulae, ab hac sejungeretur. His controversiis Philippus in suum commodum uti et inde ab Ol. CVII, 1 non res solum Thracias ex arbitrio suo regere, sed in ipsa etiam Chersoneso negotia Atheniensibus facere studuit. Ac frustra hi postea operam dederunt, ut reciperent Cardiam, cujus incolae in Philippi tutelam se tradiderunt. Dem. de Pac. §. 25. Phil. III. §. 35.

§. 3. In insula *Euboea*, quae inde ab iis bellis, quae gesta erant cum Persis, subjecta Atheniensibus erat, jam mature discordiae inter Thebanos, qui sibi imperium ejus vindicare conabantur, et Athenienses exortae sunt. Iidem decertabant inter se de *Oropo*, quae quidem urbs, in finibus Boeotiae et Atticae sita, prioribus temporibus ad illam pertinuerat, et ab Atheniensibus capta erat non invitis incolis. Postea eam Themison quidam Eretriensis collecta manu exulum cepit Thebanisque tradidit, unde factum est, ut illi de ea cum his certare non sinerent, quam rem saepissime Demosthenes tangit, de Pac. §. 16. 24; de cor. §. 99. Diod. Sic. XVI. 76. In insula igitur *Euboea*, ut ad hanc revertar, dissidio civium exorto, alia pars ab Atheniensibus, a Thebanis alia auxilium petiit. Qui postquam aliquamdiu inter se conflixerunt, Athenienses, ejectis Thebanis, *αὐτονομίαν*, quam dicunt, urbibus restituerunt. Ol. CV, 3. a. Chr. 358. Hujus rei, quippe quae celeriter suscepta sit prospereque peracta, saepe mentionem Demosthenes facit, de cor. §. 99; Phil. I. §. 17; de Cherson. §. 74. Nec tamen diu tranquilla haec insula erat, sed multae posthac turbae excitabantur,

auctore inprimis Philippo, quas quidem turbas suo tempore narrabo. — Eodem tempore, quum vix domum Athenienses rediissent, nuntii *Amphipolitanorum*, quorum urbem suae Philippus ditionis facere volebat, ad eos venerunt adhortaturi, ut urbem suam in fidem reciperent. Haec enim urbs, haud procul a Thracia ad sinum Thermaicum sita ac Strymone flumine inclusa utrimque, unde postea Amphipolis vocabatur, jam antiquissimis temporibus condita erat. Herod. V. 30. Huc Athenienses, Persis devictis, anno 470 a. Chr. colonos deduxerant, quibus a Thracibus interfectis alios atque alios miserant, quorum non melior sors erat, donec tandem illi aetate Periclis, nova colonia deducta, amplificarent urbem ac nomen ei Amphipolin adderent. Postea autem bello Peloponnesiaco, quum Amphipolitani haud ita studiosi rerum Atheniensium essent, Lacedaemonii facili negotio urbem Brasida duce ceperunt. Ea post varias deinde rerum vicissitudines Macedonum facta est ac frustra eam Athenienses recipere compluribus bellis tentaverunt, ad quae gerenda Timotheus, Iphicrates et Callisthenes missi erant. Nec vero exigua Amphipolis erat ac parvi momenti; nam abundabat emporiis, portoriis, auri argentique fodinis, lana, materia navali, ac transitum ad circumjacentes populos aut aperire poterat aut intercludere. V. Winiewsk. Comm. p. 37 sqq. — Hanc igitur urbem, quam Philippum, callide cedentem temporibus, restituisse in libertatem supra commemoravi, nunc ille viribus auctus in ditionem suam iterum redigere voluit. Jam quum timeret, ne *Olynthii* societatem, quam tum petebant, cum Atheniensibus facerent, qua inita frustra se imperium Graeciae affectaturum esse videbat, ut impediret illud foedus, his pollicitus est, si Olynthios repudiavissent, se iis Amphipolin captam traditurum esse, qua ii re decepti sunt. Atque eodem ille tempore ad Olynthios quoque legatos miserat, se *Anthemum* urbem atque etiam *Pydnam* et *Potidaeam*, quae Atheniensium fuerant, iis concedere velle, si Amphipolin, quae hoc tempore, nescimus qua ratione, in Olynthiorum

clientela erat ac fide, ipsi tradidissent. Tum his quoque conciliatis Amphipolin cepit captamque Macedoniae adjunxit. Dem. de cor. §. 69. Phil. II. §. 20. Hoc igitur tempore Athenienses, quum copias paratas haberent, quum Amphipolitani urbem suam in fidem tradere vellent, quum Olynthii foedus peterent et amicitiam, si melius consulissent rebus suis, facile superare Philippum potuissent, nec postea in eam necessitatem essent adducti, ut in bellum, quod Amphipolitanum oratores vocare solent, mille ducenta talenta insumerent. —

§. 4. Sed enim Athenienses, quamquam Philippi fraudes nunc demum perspexerant, ac multas in eum minas jactabant multaque faciebant decreta, tamen, quum *bello sociali*, quod tum per tres annos gerebant, prohiberentur, fortiter contra illum arma capere non potuerunt. Nam *Chii*, *Rhodii*, *Coi* et *Byzantini*, quos illi socios diu habuerant nec tractaverant, ut par erat, a Mausolo, Cariae rege, concitati in officio manere noluerunt (Ol. CV, 3. a. Chr. 358). Hoc igitur bellum, in quo male rem Athenienses gesserunt, ita compositum est, ut ille Mausolus insulas, excepto Byzantio, in ditionem suam acciperet. Erat autem grave Atheniensium vectigalibus; hinc querelae proximis annis de afflicta conditione rerum Atticarum. Dem. de Pac. §. 25; de cor. §. 324. Hoc inter bellum, quum Philippus e Lemno et Imbro, quae insulae Atheniensibus fidem servaverant, captos cives abduxisset, *Nausicles* quidam, armorum praefectus, e facultatibus suis stipendium militibus largitus est, quam ob rem publice corona ornatus est. Dem. de cor. §. 115. — Eodem tempore *Megarenses*, qui hostili in Athenienses animo erant, opportunitate usi esse videntur, ut impetum in Salaminem insulam facerent. Contra eos missus est *Charidemus*, qui quum initio victus esset, ipse cum *Diotimo* quodam octingentos juvenes sive Salaminios sive Athenienses collegit clypeisque sumptibus suis instruxit.

Ab his fusi sunt hostes. Quam ob causam Charidemus et Diotimus eodem, quo Nausicles, die coronati sunt. Dem. de cor. §. 116. — *Philippus* autem per hos annos ut Athenienses clam vexavisse videtur, ita *Thessalos* sibi conciliavit. Ibi enim tyranni Pherarum id agebant, ut rerum Thessalicarum potirentur. Contra hos Aleuadae, nobilissimi hujus terrae, qui Larissae sedem suam habebant infensique erant illis tyrannis, rebus suis diffisi, auxilium Philippi imploraverunt. Diod. Sic. XV, 61. Is non cunctans in Thessaliam cum exercitu venit ac libertatem urbibus, Aleuadis potestatem restituit, qua re magnam Thessalorum gratiam sibi paravit; nam hi inde ab eo tempore Philippo inserviebant, quod duorum maxime Aleuadum, Eudici et Limi, opera factum esse Demosthenes dicit, de cor. §. 48. —

§. 5. Non multo post bellum *Phocense* seu *sacrum* exarsit (Ol. CVI, 2. a. Chr. 355), quod quidem bellum, gestum illud per decem annos, quum misceret omnia ac summam discordiam in civitates induceret, valde exitiosum Graeciae fuit. Nam Lacedaemoniis ob Cadmeam, Thebarum arcem, dolo occupatam mille talentorum mulcta ab Amphictyonum concilio irrogata erat; itemque a Phocensibus, quod agros prope Cirrham sacratos Apollini Delphico in suum usum converterant, poena expetebatur. Sed horum populorum neuter solverat mulctam. Itaque Thebanis, qui vetere in eos odio flagrabant, hoc demandatum est, ut Amphictyonum decreta peragerent, unde exortum est bellum, in quo Athenienses, quum jam diu infensis in Thebanos animis essent, Lacedaemonii ac tyranni Pherarum, quos paullo ante commemoravi, quamquam Phodenses contra jus fasque egisse viderunt, his tamen praesidio erant. Dem. de cor. §. 18 sq. Hoc igitur bellum, quo per se Graecarum civitatum vires frangi oportuit, ob eam maxime causam perniciem Graeciae attulit, quod eo data Philippo occasio est, res Graecas miscendi. Nam quum Thessali adjuvarent Thebanos,

Onomarchus, dux Phocensium, in illorum terram bellum transtulit, ut succurreret tyrannis Pherarum, qui in angustias a Philippo adducti erant. Is enim eo tempore, quo Graecorum animi ad bellum Phocense sese converterant, in Thracia ac finibus Macedoniae ad augendam ditionem suam occupatus, *Ἡραῖον τεῖχος* castellum ac *Methonem* urbem sibi subiecit, quam urbem quum obsideret, sagitta de muris jacta dextro oculo privatus est. Dem. de cor. §. 67. Jam quum prope Thessaliam cum exercitu esset, a Thessalis urbibus, quae a Lycophrone et Pitholao, tyrannis Pherarum, premebantur, vocatus auxilio post variam belli fortunam Phocenses una cum illis tyrannis Thessalia expulit. Hinc factum est, ut Thessali magis etiam quam antea illi faverent. —

§. 6. His rebus gestis Philippus, diu in Thessalia moratus, ad *Thermopylas* profectus est, quas si occupavisset, suo se arbitrio res Graecas gubernaturum esse speravit. At sero venit. Nam Athenienses, tandem aliquando expergefacti, exercitu celerrime comparato, illas angustias praesidio firmaverant, quod quidem factum saepe Demosthenes laudibus effert, de cor. §. 32; Phil. I. §. 17. (Ol. CVII, 1. a. Chr. 352). Quare ille rebus infectis in Macedoniam rediit. — His autem temporibus in *Peloponneso* quoque multae ac magnae discordiae exoriri coeperunt. Dem. de cor. §. 18. Lacedaemonii enim, qui pristinam dignitatem, qua erant per Epaminondam dejecti, recuperare volebant, *Messenios*, *Megalopolitanos* et *Argivos*, quos ille vindicaverat in libertatem, sub suam redigere potestatem studebant, id quod se, ceteris Graeciae civitatibus bello Phocensi districtis, facile consequi posse opinabantur. — Sed nunc quidem non opus est, plura de his rebus dicere, quas mox paucis retractabo, quoad quidem ad id pertinent, quod mihi propositum est. Hoc unum nunc addo, Philippum pro more suo his quoque rebus postea se immiscuisse.

§. 7. Jam novus huic exstitit hostis. *Olynthii* enim, quos foedus cum eo fecisse supra commemoravi, crescentis ejus potentiae terrore perculsi tandem ab eo defecerunt et Atheniensibus se applicaverunt ita, ut, si hostiliter ipsi in Philippum agerent, horum ope defenderentur (Ol. CVI, 4. a. Chr. 353). Nec hoc Philippum latuit. Sed non statim bellum erupit, de quo mox dicam, quum paucis exposuero ea, quae in *Euboea* illo tempore gerebantur. Ibi enim perduraverant dissidia civium. His rex, ut negotia Atheniensibus faceret, uti constituit et *Clitarchum* quendam, civem Eretriensem, adjuvit contra *Plutarchum*, tyrannum Eretriae, qui auxilium ab Atheniensibus petiit, quod quidem auxilium, quamvis graviter dissuaderet Demosthenes, Midia tamen auctore, quo ille hospite utebatur, impetravit. Dem. de Pac. §. 5. Longum est, narrare singula, quae hoc bello facta sunt. Res eo pervenit, ut non Clitarchus solum, sed etiam Plutarchus, quum hic ingrato ac subdolo in Athenienses animo esset, insula ejicerentur. Dem. Phil. III. §. 57. Neque tamen omne bellum extinctum est; nam Philippum ne nunc quidem rebus Euboeensibus abstinuisse praeter alia testis est epistola ejus ad Euboeenses scripta, qui abalienato ab Atheniensibus animo esse coeperunt (Ol. CVIII, 1). Dem. Phil. I. §. 37. Nec ille inde ab Ol. CVIII, 3 desiit, res in hac insula miscere et alere proditores, qui omnia in commodum ejus vertere studuerunt. Huc pertinet illud, quod Dem. de cor. §. 79 sq. dicit, suo consilio et legationem in Euboeam et expeditionem factam esse. Alii enim Euboeensium Philippi, Atheniensium alii partes secuti sunt, unde factum est, ut, superioribus illis, rex *Porthmum*, castellum Eretriae, ad mare e regione Atticae situm, dirueret ac tyrannos Eretriae Oreique institueret (Ol. CIX, 1). Dem. Phil. III. §. 57; de cor. §. 71. Postea, quum bis illae urbes in libertatem se vindicare studerent, rex iterum milites misit, qui expulsis Atheniensium legatis tyrannidem restituerent (Ol. CIX, 2). Dem. Phil. III. §. 58 et 66. Eodem fere ille

tempore ad *Oritas*, apud quos turbatae res erant, homines misit, qui eas sedarent, ac *Philistidem* cum aliis urbi praefecit, quorum fraudes quum *Euphraeus* quidam, vir libertatis studiosissimus, perspiceret et irritas reddere vellet, desertus ab imperitis civibus suis, qui, quid doli subesset, non intelligebant, urbe a rege capta, mortem sibi conscivit. Dem. Phil. III. §. 59, 60—62; de cor. §. 71. Post varias rerum vicissitudines maxime vi orationis Philippicae III., quam Demosthenes Ol. CIX, 3. a. Chr. 342 habuit, factum esse videtur, ut Athenienses iterum Phocionem cum copiis mitterent, qui Clitarchum ex Eretria et Philistidem ex Oreo expulit. Dem. de cor. §. 87. Eorum legatos, qui paullo ante Athenas venerant, Aeschines hospitio exceperat ac procuraverat eorum negotia, quod ei Demosthenes crimini dat, de cor. §. 82. — Sed tempus est, ad ordinem rerum gestarum reverti. —

§. 8. Non multo post priorem in Euboeam expeditionem, quum diu se Philippus hostilem in modum contra Athenienses gessisset, Demosthenes, qui tum triginta fere annos natus erat, *primam orationem Philippicam* habuit (Ol. CVII, 1) atque inde ab hoc tempore communis libertatis Graeciae vindex contra Philippum exstitit. Eodem fere anno *Antiphon* quidam, qui per fraudem in civitatem Atheniensium venerat, ex ea dejectus ad Philippum confugit ac pollicitus est, si illi placeret, se Atheniensium navale incendio esse deleturum, id quod illi peropportune accidit. Sed homo iste, quum clam in Piraeum venisset, comprehensus a Demosthene protractusque est ad iudicium populi; a quo Aeschinis opera impune dimissus, ab Areopago denuo in iudicium vocatus ac poena affectus est. Dem. de cor. §. 132. — Interim Philippus, quo sibi magis aditus ad mare pateret ac daretur classis comparandae facultas, Chalcidicam peninsulam expugnare constituit. In ea praecipua urbs erat *Olynthus*, quae et mercatura et triginta aliis illius

terrae urbibus in societatem acceptis magnam opulentiam ac potestatem consecuta erat. Hanc igitur urbem, quam foedus cum Atheniensibus renovasse supra commemoravi, quum Philippus subigere vellet, repente adortus est (Ol. CVII, 4. a. Chr. 348). Itaque Demosthenes *tribus orationibus Olynthiacis* suasit, ut auxilium Olynthiis mitteretur. Sed frustra iterum atque iterum auxilia mittebantur. Erant enim, ut in plerisque Graeciae civitatibus, ita Olynthi duae factiones, quarum altera Philippo erat addicta, altera libertati reipublicae consulebat. Ita postquam diu pugnatum est, proditione istorum hominum urbs a Philippo capta est. Nec tamen fructum proditores expectatum ceperunt; rex enim proditionem amabat, oderat proditores ipsos. Dem. de cor. §. 48. Athenienses autem publico eos consilio infames esse decreverunt, ut in summo omnium Graecorum odio contemptuque versarentur. Dem. de Chers. §. 41; Phil. III. §. 66.

§. 9. Quum nuntius de Olynthi expugnatione Athenas perlatus esset, summus omnium animos metus ac perturbatio cepit. Atheniensium enim res eo tempore dubiae erant ac trepidae. Ii frustra civitates Graeciae compellere ad foedus contra regem tentarunt, quum singulae se invicem suspectas haberent et quidvis pati essent paratae, quum Thessalia teneretur a rege, quum in Euboea tyranni illi dediti urbibus imperarent, quum Thebani et Phocenses se impugnarent ad internecionem, quum tota Peloponnesus in factiones divisa esset. Dem. Phil. III. §. 33 et 57; de cor. §. 18 et 54. Ipsi autem, omnibus urbibus in litore Thraciae ac Macedoniae amissis, mille quinquaginta talenta in bella, quae adhuc sunt commemorata, consumpserant atque adeo erant fracti, ut pacem vehementer optarent. Nec minus Philippus ejusdem cupidus erat. Is enim post expugnatam Olynthum majora appetens et reliquam Thraciam, quam tenebat Chersonesum, quae ad horum ditionem

pertinebat, et transitum per Thermopylas ad opprimendos Phocenses obtinere studuit. Quod quum vi assequi non posset, fraude circumvenire Athenienses ac pacis mentionem facere constituit. Praeterea timuisse videtur, ne Thebani, qui debilitati bello Phocensi erant, illis sese adjungerent ab iisque auxilium peterent. Dem. de cor. §. 19. Qua vero ratione agi de pace coeptum eaque ipsa composita sit, res est difficillima ad explicandum, quum documenta e Demosthenis potissimum et Aeschinis orationibus de falsa legatione repetenda sint, accusante illo, hoc se defendente, ut pro sua uterque ratione et commodo res exponat. —

§. 10. Post Olynthi igitur eversionem, quum Euboeensium legati Athenis dixissent, regem pacem facere velle, ac Phrynon quidam, qui rerum suarum causa in Macedonia fuerat, idem confirmavisset, *Philocrates* in concione proposuit (Ol. CVIII, 1. a. Chr. 348), ut regi legatos de pace Athenas mittere liceret, id quod Demosthenes ipse probavit. Aesch. de fals. leg. §. 12—15; Dem. de cor. §. 21 sq. Eodem tempore cognati eorum civium, qui capti a Philippo erant, in concione precati sunt, ut respublica curam horum susciperet, quam quidem rem quum Demosthenes et Philocrates comprobarent, *Aristodemo*, histrioni et poëtae tragico, qui tum in Macedoniam proficiscebatur, mandatum est, ut cum rege de redimendis captivis ageret. Is una cum *Neoptolemo* quodam, histrione, qui jam prius erat a rege corruptus, benigne ac liberaliter ab eo exceptus est et mox Athenas rediit. Ibi in concione ostendit, Philippum et pacem cum Atheniensibus et foedus facere velle, quod ille epistolis missis comprobavit. Aesch. de fals. leg. §. 12. 16. 17; Dem. de fals. leg. §. 40 et 188. Itaque decem legati ad Philippum de pace missi sunt, in quibus Demosthenes ipse cum Aeschine erat. Ii celerrime ad regem profecti benigneque ab eo excepti de pace egerunt. Reposcentibus Amphipolin rex denegavit nec

concessisse videtur, ut Phocenses, Atheniensium socii, in foedus reciperentur, quo factum est, ut ex arbitrio postea in illos consulere posset. Aeschin. de fals. leg. §. 21. 33. 48; Dem. de fals. leg. p. 443 sqq. Haec autem omnia ita transegit, ut fraude cum plerisque legatis composita Demosthenem prorsus deciperet; nec tamen Aeschines quidem proditor hoc tempore fuisse videtur, qualis in altera demum legatione exstitit; nam paullo ante in regem vehementer invectus erat ac barbarum eum et hominem sceleratum vocaverat. Dem. de fals. leg. §. 304 sqq.; de cor. §. 131; Westerm. de litibus Dem. p. 32 sq. Ex his autem, quae adhuc dicta sunt, facile apparet, Demosthenem praecipuam paci componendae operam adhibuisse, id quod Aeschines ei objecit, ille autem negare conatus est, qua in re sine dubio mendacium quidem, sed nullo modo perfidiam in patriam suam admisit. Aeschin. adv. Ctesiph. §. 57 sqq.; Dem. de cor. §. 20 sq. Nam postquam intellectum est, quam illa pax perniciosa esset, populus valde auctoribus ejus succensuit atque Philocratem, quem hac in re proditorem fuisse constabat, poena affecit. Dem. de fals. leg. §. 116. Quare Demosthenes, qui deceptus quidem a rege erat, sed puro et integro animo hac in re versabatur, ne omnem apud cives suos auctoritatem amitteret, postea in pacis se auctoribus fuisse negavit et permiscere has res, ubique sermo de iis erat, ac leviter tandem attingere studuit. V. Flath. hist. Maced. p. 196. Sed ad res deinceps gestas redeo. —

§. 11. Post legatorum reditum mox regis legati secuti sunt. Demosthenes, qui ne nunc quidem fraudes perspiciebat, legem tulit, ut collegae sui coronarentur a populo, ut coenae in prytaneo adhiberentur, ut Philippi legatis locus in theatro ex senatusconsulto attribueretur, de cor. §. 28. Idem pacem cum foedere quam celerrime componi jussit, unde legati foederatarum civitatum, quae convocatae Athenas esse videntur, ad tempus

adesse non poterant, id quod Aeschines oratori nostro crimini vertit, adv. Ctesiph. §. 67 sq.; hic autem negat, ceteras civitates provocatas esse, ut Athenas venirent, de cor. §. 22, quamquam ipse in oratione de fals. leg. §. 15 dicit, legatos civitatum jam praesto fuisse, quum pax conficeretur. Phocenses quidem arcessiri oportuit; sed hos ipsos Philippus nullo modo se in foedus recepturum esse praedixerat, ut Demosthenes, quum sine iis pacem fieri sineret, minus peccavisse videatur atque omnis ejus culpa eo redeat, quod nimis Philippo confisus sit, qui se nihil mali in Phocenses moliturum esse pollicitus erat. Ac re vera hi diu cunctati, utrum Philippi magis an Atheniensium fiducia niterentur, quum legatos tandem misissent, rejecti sunt. Aeschin. de fals. leg. §. 130 sq. Ita, Aeschine aliisque multa de bono regis animo jactantibus, pax cum foedere facta est, quae ad Atheniensium quoque socios, exceptis Phocensibus, pertineret. Dem. de Pac. §. 10; Phil. II. §. 28. Quae vero pacis condiciones fuerint, non satis est manifestum, nisi ut Amphipolis cum omnibus urbibus, quas rex cepisset, ei concederetur, ut Chersonesus relinqueretur Atheniensibus, excepta Cardia, ut Idrieus, rex Cariae, Rhodum, Chium, Coum retineret, ut denique etiam posterius Atheniensium hac pace tenerentur. Dem. de Pac. §. 25; Phil. II. §. 31; de fals. leg. §. 78 et 54.

§. 12. Sed decepti sunt Athenienses. Dum regis legati pacem Athenis constituunt et altera illorum legatio ad eum comparatur, ut iusjurandum ab eo exigatur, ipse Cersobleptem, regem Thraciae, subito adortus ita in angustias adduxit, ut in fidem suam eum acciperet. In eadem expeditione plures urbes Graecas castellaque sibi subiecit, in quibus *Serrion*, *Doriscus*, *Chanus* nominantur. Dem. de cor. §. 27; Phil. III. §. 15. Haec omnia fieri non potuissent, si legati Atheniensium missi de jurejurando prius Athenis abiissent et iter suum acceleravissent. Quam enim diu Philippus

nondum juraverat, nulla eum res impedivit, quominus in bello gerendo perseveraret. Quam ob causam summo id Demosthenes studio egit, ut altera illa legatio mitteretur, quae vulgo ἡ περὶ τοὺς ὄρκους vocatur. Dem. de cor. §. 29 sqq.; de fals. leg. §. 150 sq. Qui legati quum nimis diu Athenis morarentur, Demosthenes, qui in legatorum numero erat, fraudem subesse suspicatus populiscito effecit, ut celeriter illi eo proficiscerentur, ubi regem esse comperissent. Sed tanta, quanta poterant, tarditate iter facientes, ut tempus illi relinqueretur, in Thracia, quae vellet, exsequendi, tandem in Macedoniam venerunt, quamquam regem in Thracia esse non ignorabant. Dem. de cor. §. 30; de fals. leg. §. 155. Nec Demosthenes quidquam in itinere commutare potuit; solus enim integer erat, ceteris omnibus a rege corruptis. In Macedonia autem, ubi ejus adventum expectabant, legatos Euboeensium, Thessalorum, Thebanorum, Lacedaemoniorum, Phocensium invenerunt, qui omnes salutem a Philippo petebant. Dem. de fals. leg. §. 139. Is reversus e Thracia, concilio cum Thessalis Thebanisque habito, omnes decepit. Just. VIII, 4. Phocenses ad extremum usque tempus ei confisi sunt. Quid? Inspectant Philippum bellum contra patriam suam parantem proficiscentemque cum exercitu in Graeciam comitantur. Dem. Phil. III. §. 11. Atque ipsi Atheniensium legati sequebantur eum ac Demosthenem prohibebant, quominus Athenas de fraude epistolas mitteret, nec prius Philippus, quam in Thessalia cum exercitu erat, Pheris juravit. Dem. de cor. §. 32.

§. 13. Tandem post tres menses legati Athenas revertuntur ac statim senatum adit Demosthenes, omnem aperit fraudem, hortatur illum, ne vanis confidat pollicitationibus regis, et exponit, quae sint facienda, ne hic Thermopylas transgrediatur. At tribus diebus post concio populi habita est; prior surrexit Aeschines ac multa jactavit de iis, quae cum Philippo

egisset; se ei persuasisse, ne Phocensium urbes everteret; si Athenienses nihil moverent, eos aliquot diebus post audituros esse, regem non Thebanis favere, sed Atheniensibus. Dem. Phil. II. §. 7 et 33; Phil. III. §. 11; de fals. leg. §. 20 sqq. 76; de cor. §. 35 sq. Laudibus ornatus a populo descendit a rostris. Surrexit Demosthenes ac docuit, omnia falsa esse ac vana, quae ille dixisset, nec horum quidquam se audivisse. Sed orationem ad finem adducere non potuit; a Philocrate enim interpellatus ineptis argutiis a populo deridebatur, qui illo auctore decrevit, ut, quae in pace essent constituta, ea rata haberentur; immo regem ob bonum in se animum summis laudibus extulit. Dem. Phil. II. §. 30; de fals. leg. §. 17. 44 sqq. 56. Iterum legatio ad regem missa est, in qua Aeschines erat; qui ne videret suis oculis Phocensium triste excidium, quod ipse paraverat, subito morbum simulavit. Dem. de fals. leg. §. 121 sqq.; de cor. §. 32 sq. Interim eodem tempore, quo haec Athenis agebantur, rex per Thermopylas penetravit, etiam tunc comitantibus eum Phocensibus, qui se ab illo servatum iri opinabantur. At spe destituti sunt. Nam urbes eorum aliae vi, voluntate aliae aut proditione captae ac devastatae sunt (CVIII, 2. a. Chr. 347). Dem. de cor. §. 36 sqq.; de fals. leg. §. 62. Nec minus saevitum est in eas Boeotiae urbes, quae a Thebanis defecerant, in Orchomenum, Coroneam, Thespias, Plataeas; muris enim dirutis sub potestatem Thebanorum redactae sunt. Dem. de Pac. §. 21. Philippus autem Thebanorum ac Thessalorum maxime opera non in Amphictyonum solum societatem receptus, sed id etiam assecutus est, ut sibi praesidium Pythiorum ludorum deferretur, quod quidem munus in magno apud Graecos honore fuit. Dem. Phil. II. §. 22; III. §. 32. — Haec omnia contra voluntatem Atheniensium et exspectationem facta sunt. Itaque valde perterriti multa paraverunt, ut ab impetu, si quem rex in Atticam faceret, tuti essent. Dem. de cor. §. 37 sq. Qui, ut animorum motus sedaret, epistolam ad eos misit, quae

legitur in oratione de cor. §. 39. Non multo post quum Amphictyonum legati itemque Philippi Athenas venissent, qui postularent, ut, quae de Philippo in numerum foederatarum civitatum recepto statuissent, ea ab Atheniensibus agnoscerentur, his refragantibus, Demosthenes in *oratione de Pace* suavit, ut cives, ne bellum Amphictyonicum contra urbem exoriretur, nunc quidem temporibus cederent facerentque ea, quae illi legati postulavissent (Ol. CVIII, 3). —

§. 14. His rebus peractis rex laureatum exercitum in Macedoniam reduxit. Graecorum vero conditio misera erat atque afflicta. Athenienses quidem, qui soli adhuc communi libertatis hosti restiterant, viribus erant destituti; Lacedaemonii Graeciae libertati curam nullam adhibebant; Thebani cum Thessalis sequebantur Philippum; omnes autem civitates non plenae solum proditoribus erant, sed etiam invisae sibi invicem et suspectae, ut imminentem tempestatem aut non viderent aut non ad se pertinere opinarentur. Dem. Phil. III. §. 28. 33. 49; de cor. §. 45 sqq. Atque Athenis ipsis non omnes cives unum idemque sentiebant. Alii enim a rege Macedonum pecunia erant corrupti, quorum princeps Aeschines erat, alii melius de eo judicantes non arbitrabantur, eum Graeciae libertati insidiari. Dem. Phil. II. §. 6. 32. Nec defuerunt, qui diffusi Graeciae viribus potentiores esse illum putarent, quam qui vi et armis cohiberi posset, ob eamque rem pacis semper et obsequentiae auctores essent. Multi denique omnem reipublicae causam abjecerant. Hi omnes repugnabant Demostheni, qui cum paucis civibus, Lycurgo, Hyperide, Polyeucto, Diophanto, Hegesippo, aliis oratoribus admirabili constantia ac mentis sagacitate omnia regis consilia explorabat proferebatque in lucem, ut hic, orationibus ejus ad se perlatis, respondisse dicatur: „*Ipse ego, si audivissem Demosthenem, bellum contra me suscipiendum esse putarem.*“ Plut. X. Orat. Atque adeo Persarum ille

regem concitare in Philippum studuit ac pecuniam ab eo ad mercenarios comparandos accepit, quam ob rem male ab adversariis suis audivit. Plut. Dem. c. 20. Nec tamen omnis illa virtus majorum interierat apud Athenienses. Hi enim soli ex omnibus civitatibus ad tuendam communem libertatem parati erant. Dem. de cor. §. 20. 43. Sed ad res ordine exponendas redeo.

§. 15. Philippus post reditum in Macedoniam, Illyriis plane devictis, in *Thessaliam* profectus est (Ol. CIX, 1. a. Chr. 344). Dem. de cor. §. 44. Ibi enim duo tyranni rerum potiti erant, quibus ejectis reipublicae formam ita constituit, ut communi concilio (*Koinῶ*), quo inter se Thessaliae civitates adhuc continebantur, dissoluto, tetrarchiam institueret, in quatuor partes terram describens. Dem. Phil. II. §. 22; III. §. 26; de fals. leg. §. 320. Nec tamen minus, quamquam urbes praesidiis tenebat ac Thessalos sua castra sequi iussit epistolisque imperavit, qua quidvis ratione faciendum esset, hos benevolos addictosque sibi servavit. Dem. de Chers. §. 14. 62; Phil. III. §. 33; de cor. §. 43. — In *Peloponneso* autem omnia fere turbulenta erant ac perturbata. Ibi enim Lacedaemonii, finito bello Phocensi, denuo operam dederunt, ut summa rerum potirentur. Contra eos exstiterunt Argivi, Arcades et Messenii, qui quia jam illo tempore, quo a rege Amphictyonum concilium Delphis convocatum erat, ad eum se applicaverant, nunc illis urgentibus ejus opem imploraverunt. Dem. de cor. §. 64. Atque adeo statuas ei publice Argivi et Arcades posuerunt, et, si cum exercitu venire in Peloponnesum vellet, socium se eum recepturos esse dixerunt. Dem. Phil. II. §. 18; III. §. 27; de fals. leg. §. 260. Nec tamen hoc tempore venit, sed missis epistolis Lacedaemonios cedere Messenia iussit sparsitque rumores, mox se ipsum eo venturum esse. Dem. Phil. II. 13; III. 17. Neque hae solum civitates Peloponnesi, quas modo commemoravi, hostiliter

inter sese agebant, sed ceterae quoque non admodum pacatae erant. In Elide inprimis optimatum et popularium factiones infensis in se animis erant. Diod. XVI. 63. Philippus autem in omnibus fere mercenarios, quos dicunt, habuit, qui res in ipsius commodum moderarentur. Itaque Athenienses, ut conturbarent ejus consilia, duplicem legationem ad Peloponnesi civitates miserunt, alteram Ol. CVIII, 4, cujus haud ita prosper eventus erat, Dem. Phil. II. §. 26, alteram Ol. CIX, 3. a. Chr. 343, in qua Aeschines adv. Ctesiph. §. 97 Demosthenem has civitates abalienavisse a Philippo dicit. Dem. de cor. §. 79, Phil. III. 72. Itaque hic, impeditis consiliis, simul iratus de maledictis, quae in eum oratores Atheniensium saepe congerebant, legatos ad Athenienses misit, qui harum rerum rationem ab iis expeterent. Inter hos legatos erat *Python* quidam, qui quum ignominiose contra Athenienses diceret, suffragante Aeschine, refutatus est a Demosthene, qui hoc tempore *secundam orationem Philippicam* habuit. Dem. de cor. §. 136.

§. 16. Interea Philippus alia molitus est. Is praeter Thessalos alios quoque populos, quorum in numero *Aenianes*, *Aetoli* et *Dolopes* nominantur, sibi adjunctos habebat, Dem. de cor. §. 63, et hoc tempore (Ol. CIX, 2) copias in *Ambraciam*, quam in urbem se legatum esse missum Demosthenes dicit, de cor. §. 244, in *Leucadiam*, *Acarnaniam* et *Cassiopiam*, Epiri regionem, duxit. Deinde *Naupactum*, Aetoliae urbem, quae ab Achaeis condita erat, Aetolis, sociis suis, tradidit, *Echinum* in Phthiote sibi subjecit, Dem. Phil. III. §. 34, et insidiatus est *Megarensium* urbi, in qua singuli cives cum eo faciebant adhortabanturque, ut praesidium in urbem mitteret. Dem. de cor. §. 48. 295. Nam quum eo tempore per Isthmum in Peloponnesum trajicere vellet, illam urbem, opportunissimam huic consilio, sibi subjicere voluit, quae quidem res saepe a Demosthene commemoratur, Phil. III. §. 17. 27; de cor. §. 71. Nec tamen ille, quod voluit, consecutus

est. Nam Plut. Phoc. c. 15 narrat, Phocionem, quum pars Megarensium ab Atheniensibus auxilium contra impetus hostium petiisset, timentem, ne Boeoti de hac re certiores facti illorum auxilia praeoccuparent, convocata concione id effecisse, ut cum subsidiis Megaram mitteretur, quam eum urbem duobus muris cum mari conjunxisse, quo magis in posterum aditus Atheniensibus ad illam urbem pateret, idem Plutarchus tradit. Hinc Megarenses Atheniensium socii a Demosthene de cor. §. 237 dicuntur. — Eodem fere tempore rex *Porthmum*, castellum Eretriae, diruit et Clitarchum Eretriae tyrannum instituit. Dem. de cor. §. 71. Nec ab *Haloneso*, parva insula in mari Aegaeo sita, abstinuit. Ea prius Atheniensium fuerat; postea capta est a praedonibus, quibus eam Philippus eripuit. Atheniensibus reposcentibus eam respondit, se gratificantem iis dare insulam velle, non restituere, quippe quam ereptam non ipsis, sed praedonibus jure teneret. *Peparethii* autem, qui insulam in vicinia Halonesi incolebant, incitati ab Atheniensibus, ut videtur, captis Philippi mercenariis, qui Halonesum tenebant, eam occupaverunt. Rex igitur, illis devictis, insulam eorum devastavit, cujus rei auctor est Demosthenes de cor. §. 70. Hoc factum esse videtur Ol. CIX, 3. — Illis temporibus magnum Philippus terrorem Atheniensibus de *Chersoneso* injecisse videtur, quum palam dixisset, se iis nec promisisse quidquam, et pacem non habere nisi cum iis, qui imperata sua facere vellent. Dem. Phil. III. §. 17. 27. Itaque illi novos colonos armis instructos ad tuendam Chersonesum, *Diopithe* duce, miserunt, clam ei mandantes, ut, quantum posset, damnum regi inferret, et Cardiam urbem, quam hic sibi conjunctam habebat, subjiceret. Dem. de cor. §. 70; Phil. III. §. 15. Sed frustra ille cum Cardianis concurrat; rex enim petentibus auxilium misit. — Interea *Cersobleptes*, rex Thraciae, denuo arma contra Philippum ceperat, ut se ab ejus imperio liberaret; sed devictus ab eo regnum amisit. Dem. de Chers. §. 44 sqq. Inter hoc bellum *Diopithes* ille, opportunitate utendum

esse ratus, hostilia in Philippum egit, plures ejus urbes in litore Propon-
tidis sitas delevit, oram depopulatus est et naves abduxit. Dem. Phil. III.
§. 16; de Chers. §. 58 sqq. Qua de causa quum rex apud Athenienses
quereretur, Diopithes in judicium vocatus est. Sed eum Demosthenes in
oratione de Chersoneso ita defendit, ut crimine liberatus discederet (Ol.
CIX, 3). Philippus autem hoc tempore in Chersonesum ingressus est ac
bellum in ea cum Atheniensibus gessisse videtur, quo pertinent verba
Demosthenis in oratione de corona §. 139. Just. IX, 1. Chersonenses,
horum ope liberati periculo, populum Atheniensium corona ornaverunt.
Dem. de cor. §. 80. 92.

§. 17. In *Euboea* quoque rex Macedoniae, inde a pace cum Athe-
niensibus facta, miscere res ac perturbare perrexerat, ut quasi propugnaculum
hanc insulam in Athenienses faceret. Dem. de cor. §. 71. Ejus igitur
ope Hipparchus, Automedon et Clitarchus tyranni constituti sunt. In urbe
autem Oreo Philistides, Menippus, alii in Philippi commodum rempublicam
administrabant. Hos tyrannos Athenienses a rege aut avertere, aut una
cum praesidiis ejus expellere studuerunt, id quod ipsis contigisse videtur.
Dem. de cor. §. 79—84. 87. Qua in re Demosthenes quum praecipuam
operam exhibuisset, coronatus est (Ol. CIX, 4). Dem. de cor. §. 84.
Eodem anno seu potius sub finem antecedentis Philippus, quum sciret,
Athenienses clam id agere, ut tyrannos ex Euboea ejicerent ac subsidia
mitterent in Hellespontum, quae Selymbrianis auxiliarentur, *Anaxinum*
quendam Oritam Athenas misit, consiliorum Atheniensium exploratorem;
qui quum clandestina consilia cum Aeschine moliretur, a Demosthene
comprehensus est, de cor. §. 137. — Quae quum ita essent, nec ulla
spes pacis servandae relinqueretur, Demosthenes *tertiam orationem Phi-*
lippicam, omnium pulcherrimam, habuit (Ol. CIX, 3. a. Chr. 342), qua

Athenienses commovere studuit, ut fortiter arma contra Philippum caperent et exemplo ceteris Graecis praeirent, neve in posterum adulatores ac proditores audirent. —

§. 18. Interea Philippus in Thracia occupatus erat, ut *Byzantium* caperet. Dem. de cor. §. 87. Haec enim urbs, quam una cum Chiis, Rhodiis, Cois per tres annos bellum gessisse contra Athenienses ac vindictam in libertatem esse supra narravi, inde ab hoc tempore mutuas cum iis similitates exercebat navesque eorum vexabat. Dem. de Pac. §. 25. Praeterea, *Selymbrianis* ac *Perinthis* societate sibi adjunctis, aliquantulum potestatis consecuta erat. Philippus igitur, quum hanc urbem, ut Athenienses commeatu ex Ponto intercluderet, in suam ditionem redigere vellet, simulata amicitia foedus cum ea fecit. Dem. de cor. §. 87. Sed mox Byzantini, consiliis ejus perspectis, diffidere ei coeperunt. Ac re vera ille *Selymbriam* obsidione cinxit et cepisse videtur (Ol. CIX, 4). Dem. de cor. §. 77 sq. Eodem anno *Amyntas*, dux ejus, viginti navigia, quae erant frumenti causa in Hellespontum ab Atheniensibus missa, abripuit, qua re pacem eum violasse Demosthenes queritur, et Athenienses ex decreto Eubuli legationem ad eum de recipiendis navigiis miserunt, de cor. §. 73 sq. §. 139. Postero autem anno quum Philippus *Perinthum* quoque aggrederetur, quae urbs jam ad Athenienses se applicaverat, Byzantini aperte in eum exstiterunt, quo factum est, ut rex, dimidio copiarum ad Perinthum relicto, ad *Byzantium* oppugnandum sese converteret, quod factum iri Demosthenes praedixerat. Phil. III. §. 19; de cor. §. 71. 87. Ita Atheniensibus, qui illam urbem praecipuum forum frumentarium habebant ac pleraque ex illis regionibus alimenta petebant, magnum periculum parabatur; Illa enim capta Perinthum quoque et omnem mercaturam in Ponto amitti oportuit. Itaque illi et cum iis, quos rex Persarum Asiae minori prae-

fecerat, et cum incolis Chii, Coi et Rhodi omni virium intentione opem urbi tulerunt. Dem. de cor. §. 88 sqq. Demosthenes autem, opportunitatem se nactum esse ratus, cives suos incitandi contra regem, imprimis alacer erat ac strenuus et persuasit illis, ut et *Peloponnesum*, in quam ipse denuo missus erat, et *Euboeam* et *Acarνανiam*, quam adibat ex Peloponneso, et *Ambraciam*, in qua regis legatos se superavisse dicit, excitarent, ut columnam, in qua pax facta incisa erat, diruerent, ut naves et quaecunque opus ad bellum essent, pararent. Dem. de cor. §. 45. 86 sqq. 244. Atque ipse Byzantium profectus est, ut hujus urbis cives adhortaretur, ne abjicerent animum, quo in itinere etiam Thraciae reges se convenisse invictumque a Philippi legatis rediisse dicit. Dem. de cor. §. 244. Byzantinis primum Chares dux Atheniensium cum copiis auxilio missus est, quem quum illi non reciperent in urbem, quippe qui jam priore tempore non hostibus, sed sociis exitiosus fuisset, missus est Phocion, qui fortitudine, prudentia, omnibus boni civis virtutibus excellebat et paullo ante in Euboea rem bene gesserat. Is regem coëgit, ut obsidione absisteret (Ol. CX, 1). Nec prospero hoc eventu acquievit, sed copiis in Chersonesum, cui rex imminabat, deductis plures ei urbes eripuit. Dem. de cor. §. 139. Populus autem Atheniensis a Perinthiis et Byzantinis pro hoc beneficio coronatus est. Dem. de cor. §. 90 sq. Non parum ad hujus belli felicem exitum illud valuit, quod Demosthenes medio hoc bello meliorem trierarchiam instituit, unde factum est, ut copiis celerius missis res gererentur melius, id quod orator ipse testatur, de cor. §. 107. —

§. 19. Quae quum ita se haberent, Philippus, quamquam diruta pacis columna ac misso Byzantinis auxilio exoptatam occasionem nactus erat, hostiliter in Athenienses agendi et, quod jam diu expetierat, rerum Graecarum potiundi, tamen non statim iis bellum intulit, immo pacem cum iis renovasse

videtur, ne, si sine speciosa causa in Graeciam copias duceret, Thebani consilia sua perspicere. Hanc alteram pacem factam esse post obsidionem Byzantii intermissam, patet primum ex eo decreto Atheniensium, quod de induciis a Philippo petendis latum est (Ol. CX, 2), quo hic accusatur, quod pacem ac jusjurandum violarit. Dem. de cor. §. 164; deinde ex Philippi epistola ad Athenienses, qua ille inducias se facere velle dicit. Dem. de cor. §. 166. Haec ad priorem pacem pertinere non possunt; ea enim jam diu soluta erat, Dem. de cor. §. 73 sq.; Philippum vero epistola missa bellum Atheniensibus indixisse, Dem. ad Phil. p. 152 testatur. Atque ipsi Athenienses bellum contra eum paraverant, ut Chersonenses, Byzantios et reliquos socios tuerentur. Dem. de cor. §. 93. Ac re vera bellum cum rege gestum esse inter obsidionem Byzantii, docet Dem. de cor. §. 88 sq. 145 sq. Ac nescio an illud quoque decretum, quod de cor. §. 29 legitur, ad hanc alteram pacem pertineat. Sed haec hactenus. — Illo tempore, quo Philippus a Byzantio regressus in interiores Thraciae partes profectus erat, ut cum *Illyriis* et *Triballis* confligeret (Dem. de cor. §. 44), Graeciae civitates, quae post bellum Phocense fractae jacebant, summa uti tranquillitate et quiete videbantur; sed tamen in singulis urbibus magna erat perturbatio ac diffidentia, Athenis maxime, ubi Demosthenes et ii cives, qui a rege corrupti erant, capitali inter se odio flagrabant ac vehemens bellum gerebant. Nec ille unquam desiit, vindex esse libertatis, ac civibus persuasit, ut theatrales illas pecunias bellico usui adhiberent bellumque ipsum terra marique in communem patriae hostem continuarent. Quibus de rebus certior factus rex dolo et corruptione, quibus adhuc plurimum valuit, multo magis uti incepit consiliorumque suorum adjuutores in ea ipsa civitate multos invenit, cujus inprimis decreta illis opposita erant. — Ita celeriter Graecae libertatis interitus imminebat.

§. 20. Etenim verno tempore, quum dies appropinquabat, quo *Amphic-*

tyones Delphis convenire solebant, Philippus artibus id effecit, ut mercenarii sui, quos Athenis habebat, inprimis Aeschines, in legatorum numero ad hoc consilium deligerentur. Dem. de cor. §. 147 sqq. Aesch. adv. Ctesiph. §. 116 sqq. Illud autem convocatum erat (Ol. CX, 1), ut Delphicum templum, quod erat Amphictyonum tutelae commissum, reficeretur exornareturque novis donariis; quae enim in eo ex prioribus temporibus deposita erant, ea Phocenses bello sacro dissipaverant. Tota igitur Graecia colligebantur donaria ac reponebantur in templo. Athenienses aureos clipeos miserunt, in quibus hoc erat scriptum: Ἀθηναῖοι ἀπὸ Μήδων καὶ Θηβαίων, ὅτε τ' ἀναντία τοῖς Ἑλλήσιν ἐμάχοντο. Aeschin. adv. Ctesiph. §. 116. Thebanos enim constat post occupatas Thermopylas cum Persis sese conjunxisse, unde magnam sibi ignominiam conflaverant. De his igitur clipeis, qui ante, quam rite sacriati erant, suspendebantur, Thebanis querentibus, quum Amphictyones suffragari iis viderentur, Aeschines, qui pythagorae munere fungebatur, surrexit ac patriam suam defendit. Dem. de cor. §. 149. Eum Locrensis quidam ex Amphissa oriundus interpellavit dicens, Athenienses, quod bello sacro Phocenses sacrilegos adjuvissent, ejiciendos ex Amphictyonum concilio esse. Tum Aeschines, ut paria paribus referret, hoc jure posse Amphissensibus injungi respondit, quippe qui antiquissimis temporibus templum spoliassent. Hinc magnus inter Amphictyones tumultus exortus est, quem quidem illum consulto commovisse Demosthenes querebatur, ut, bello sacro concitato, facultas Philippo in Graeciam invadendi daretur. Dem. de cor. §. 150. Aeschin. adv. Ctesiph. §. 113—121. — Res autem haec est.

§. 21. *Amphissenses*, quarum urbs in ruinis Crissae et Cirrhae condita erat, agrum Apollini sacratum coluerant portumque ex Amphictyonum decreto dirutum refecerant, ut portorium exigenter, idque adhuc impune

fuit. Itaque Aeschines, exacerbatus illa Amphissensis criminatione, quam modo commemoravi, ostendens agrum illum Amphissenses invidia sacrilegii onerare magna cum vehementia orationis studuit, id quod ei contigit. Aesch. adv. Ctesiph. §. 107—112. Amphictyonum enim concilium illo tempore constabat maximam partem ex Philippi ministris et adiutoribus, qui, quod huic exoptatum erat, hac data occasione, belli in Graecia excitandi cupide usi effecerunt, ut agri illius ac portus vastatio decerneretur, quae quidem res statim postero die peracta est. Dem. de cor. §. 151. 154. Sed in regredientes ex illa vastatione impetum Amphissenses fecerunt fusosque usque ad urbem persecuti sunt. Tum Amphictyones *Cottypho* quodam Pharsalo auctore, qui praecipuas hujus rei partes praeter Aeschinem suscepisse videtur, decreverunt, ut, eo concilio, quod nunc erat, dimisso, legati iterum certo quodam die ad concilium extraordinarium convenirent civitatumque suarum decreta de poena Amphissensibus irroganda secum portarent. Athenis autem Demosthenes, qui in Philippi commodum conflatas has discordias esse cognovit, vehementer in Aeschinem invectus est dicens: „*Bellum Atticae infers, Aeschine, bellum Amphictyonicum*“; de cor. §. 143. Idem dissuasit, ne legati ad hoc concilium extraordinarium mitterentur, a quo etiam Thebani abfuerunt, ne in Amphissenses, quibuscum veterem societatem habebant, sententiam dicere cogerentur. Dem. de cor. §. 143. At ceterae civitates, legatis missis, primum mulctam Amphissensibus imposuerunt; tum, quum hi eam non solverent, bellum contra eos decreverunt, ad quod gerendum *Cottyphus* ille dux electus est. Is, quia copias nullas habebat, jubentibus Amphictyonibus, a *Philippo* auxilium petiit, quam ad rem Thessalos, qui huic concilio, absentibus Atheniensibus atque Thebanis, praesidebant, multum valuisse Demosthenes dicit, de cor. §. 151—155 (Ol. CX, 2). Ille igitur reversus ex Scythia, ubi tum morabatur, clam bellum adversus Graecos paravit ac simulans, Delphico deo se auxiliari

velle, eos Graecos, quos consociatos habebat, Eleos, Arcades, Messenios, Argivos, Thessalos, alios in certum locum copias mittere jussit. Dem. de cor. §. 156 sq. Thebani illa aetate diffidere ei coeperunt (Aesch. adv. Ctesiph. §. 140) ac parvam tantum militum manum miserunt; Lacedaemonii prorsus ab hoc bello abstinuerunt. Athenienses vero omnem operam dederunt, ut civitates Graecas a Philippi societate abalienarent, inprimis Thebanos, id quod ex responsis, quae ille Atheniensibus Thebanisque dedit, apparet. Dem. de cor. §. 166 sq. Caeterum hac re factum est, ut aliqua mora expeditioni ejus in Graeciam injiceretur. Sed frustra. Rex mense Elaphebolione (Ol. CX, 2) per Thermopylas penetrans in Locridem invasit ac plures Locrorum Epicnemidiorum urbes occupavit. Hoc in itinere Atheniensium legati ex decreto Elaphebolionis die XXV. facto ad eum venerunt, qui ei pacem compositam in memoriam revocarent, vel, si eam servare nollet, inducias postularent. Dem. de cor. §. 165. Quibus quid ille responderit, non constat. Paulo post Munychionis die ultimo iterum Athenienses legatos ad eum de induciis miserunt, quibus rex illud rescripsit, quod est apud Demosthenem de cor. §. 166. Thebani quoque imminente perculsi periculo epistola missa se velle in gratiam cum eo redire ostenderunt, quam ad rem pertinet illud regis responsum, quod apud Demosthenem de cor. §. 167 legitur. Rex igitur, elatus his decretis atque responsis et alacrior factus mutatis Thebanorum animis, eam personam, qua adhuc erat indutus, deposuit et *Elateam*, urbem munitam, quae aditum e Phocide in Boeotiam proficiscentibus intercludebat duarumque dierum iter aberat ab Athenis, Scirophorionis die circiter XIII. cepit praesidiisque firmavit. Dem. de cor. §. 168. Ipse cum parte copiarum Doridem ingressus *Cytinium* occupavit, unde progrediretur adversus Amphissenses, quos mox oppressit.

§. 22. Hujus rei quum nuntius Athenas perlatus esset, summus omnium animos terror, summa perturbatio cepit, ac si hostis ad portas urbis

accessisset. Dem. de cor. §. 169 sqq. Postero die quum in concionem vocatus populus esset et praeco, ut mos erat, provocaret, quis dicere vellet, nemo surrexit. Tandem, saepius audita voce praeconis, Demosthenes prodiit et civium animos ad spem erigere et alacritatem studuit; Philippum, quia Thebanis minus confideret, apud quos major pars civium hostili in eum animo esset, praesidia in Elatea posuisse; jam illud maxime esse faciendum, ut omissa priori invidia foedus cum illis iniretur, ut exercitus Eleusina, ad ceteros Graecos, inprimis Thebanos, legati mitterentur. Dem. de cor. §. 170 sqq. Ac re vera cives ex illius sententia decreverunt, ut ducenta navigia deducerentur in mare, ut navarchus intra Pylas cum iis proficisceretur, ut copiae et pedestres et equestres Eleusina versus educerentur, ut denique Thebas mitterentur legati, in quibus ipse Demosthenes erat, de cor. §. 181 sqq. Qui quum eo venissent, legatos regis, quos is statim post captam Elateam miserat, omniumque ejus sociorum, Thessalorum, Aetolorum, Dolopum invenerunt, qui postularent, ut Thebani aut bello contra Athenienses adessent aut facultatem itineris per Boeotiam faciendi in Atticam darent. Dem. de cor. §. 211. Atque hic summa Demosthenis eloquentia cernebatur. Nam praesentibus Philippi legatis et contradicentibus, reluctante ea civium Thebanorum parte, quae illi addicta erat, Thebanos, qui adhuc summo in Athenienses odio erant incensi, eo compulsi, ut arctissimum cum his foedus inirent. Dem. de cor. §. 213 sqq. Utraque igitur civitas omnium virium intentione bellum parabat, nec deerant aliae quoque civitates Graeciae, quae communem causam suscipiebant, exceptis Spartanis, qui prorsus segnes in hoc rerum discrimine erant. Dem. de cor. §. 237. Ita triginta millia militum comparata sunt, quibus si periti duces praefuissent, fieri potuit, ut victoriam deportarent. Sed ita placuit fortunae infestae, ut Athenienses *Lysiclem*, virum rei militaris imperitum, et *Charetem*, abjectum illum hominem, praeficerent. Eorum copiae a Thebanis, quorum dux

Theagenes erat, in urbem receptae sunt (Ol. CX, 2 exeunte). Dem. de cor. §. 215.

§. 23. Philippus, e Phocide cum triginta duobus millibus militum in Boeotiam progressus castra apud *Chaeroneam* posuit. Nec rem bene ab initio gessisse videtur. Nam ante, quam illa castra posita erant, duobus proeliis, quorum alterum ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ, alterum χειμερινόν Demosthenes de cor. §. 216 vocat, inferior fuit; Athenienses festos dies celebrabant; Demosthenes coronatus est a Thebanis, et Philippus ipse epistolas plenas sollicitudine misit. Dem. de cor. §. 216—218. Sed aderat Graeciae dies fatalis. In proelio enim ad Chaeroneam commisso quum Athenienses a dextro cornu Macedones repulissent ac nimio ardore persequerentur, Alexander, regis filius, Thebanos in sinistro agmine fudit; Philippus autem ex insidiis Athenienses, inconsiderate fugienti hosti instantes, aggressus est ac superavit. Mille Athenienses occisi, duo millia capta sunt, ceteri fuga salutem petiverunt; Demosthenes ipse in primis erat, qui clipeis abjectis fugerunt. Dem. de cor. §. 264. Plut. Dem. c. 20. Quam ob ignaviam quum saepe ab adversariis vituperaretur, ita hoc convicium eludere studuit, ut diceret: ἀνὴρ δὲ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται. — *Hic dies*, ut Justini (IX, 4) utar verbis, *universae Graeciae et gloriam dominationis et vetustissimam libertatem finivit* (Ol. CX, 3. a. Chr. 338).

§. 24. Nec tamen Philippus quidquam contra rerumpublicarum formas molitus est. At quasi umbra quaedam et imago libertatis erat; omnia enim in summis rebus ex illius commodo regebantur. In Thebanos solos saevitum est; multi cives interfecti, alii in exilium missi sunt; urbs ipsa trecentorum virorum, qui regi parebant, imperio tradita est. Diod. XVII. 87. Athenis vero, nuntio cladis acceptae allato, summa erat trepidatio omnium ac timor,

ne ille in urbem ipsam impetum faceret. Mox, animis reffectis, populus decrevit, ut feminae liberique cum ornamentis templorum in Piraeum transportarentur; ad arma vocati sunt omnes, qui ea gestare possent, etiam servi ac peregrini; urbis muri reparati sunt. Dem. de cor. §. 248. Plut. Phoc. c. 16. Hoc opus susceptum illud quidem jam Ol. CX, 2, quo tempore Philippus adversus Athenienses proficiscebatur, sed intermissum paullisper nunc retractatum est. Ei Demosthenes praepositus erat, qui magnam ejus partem suis sumptibus confecit. Idem tunc temporis quaestor theatralis erat. Dem. de cor. §. 54 sq. 112. 118. Itaque Philippus quum videret, quanta in his Atheniensium apparatibus contentione virium ad expugnandam urbem eorum opus esset, petentibus corpora occisorum captivosque sine pretio reddidit. *Demadem* autem oratorem, qui in captivorum numero erat quique studebat rebus Macedonum, ad Athenienses de pace misit, id quod iis exoptatissimum erat. Dem. de cor. §. 285. Tum legatione ad regem missa, cui Aeschines intererat (Dem. de cor. §. 282), pax ita composita est, ut Athenienses Chersonesum Thracicam, plerasque insulas imperiumque maritimum amitterent, sed Oropum urbem reciperent.

§. 25. Jam his temporibus, quum Demosthenis auctoritas omnis jacere videretur, cuncti ejus adversarii, qui opinabantur, populum magno in eum odio tanquam auctorem malorum esse incensum, contra eum concurrebant ac quotidianis paene accusationibus eum vexabant. Dem. de cor. §. 249. Sed res aliter cecidit. In hac enim temporum iniquitate magnam tamen Athenienses virtutem animique nobilitatem exhibuerunt. Nam illum non liberaverunt solum omni culpa, sed publica etiam munera ad eum detulerunt et, quum corpora civium apud Chaeroneam occisorum Athenas transportata essent, orationem eum funebrem in funere publice instituto habere jusserunt. Dem. de cor. §. 285. Quin etiam paucis mensibus post pugnam Chaero-

neensem XXII. die mensis Panepsionis (Ol. CX, 3) *Ctesiphon*, qui tum senator erat, rogationem tulit, ut Demosthenes pro suis in rempublicam meritis coronaretur. Dem. de cor. §. 118. Ac re vera senatusconsultum (*προβούλευμα*) in eam sententiam factum est. Haec autem rogatio lata esse videtur, qua perpetui impetus, quibus obnoxius Demosthenes erat, coërcerentur ac simul facultas huic daretur, defendendi ea, quae in civitate egisset. Quare isti obtrectatores Demosthenis quum vidissent, comprobata hujus ratione administrandae civitatis suam prorsus improbari rationem, omnibus viribus illi rogationi resistendum esse putaverunt. Quorum quidem princeps, *Aeschines*, octo mensibus post pugnam Chaeroneensem VI. die Elaphebolionis, ante quam illud senatusconsultum ad populum perlatum erat, diem Ctesiphonti dixit, quod rogationem tulisset, quae legibus contraria esset. Dem. de cor. §. 54 sq. Sed de causa ipsa octo demum annis post, Archonte Aristophonte (Ol. CXII, 3. a. Chr. 330) iudicium factum est. Cujus dilationis quae fuerit causa, non satis compertum habemus. Egit de ea re *Westermannius* in libello, qui inscribitur „De litibus, quas Demosthenes oravit ipse“; is subtilibus conclusiunculis demonstrare voluit, aliquanto prius (Ol. CXI, 2) hanc litem oratam esse, p. 61—87. — Caeterum hic mos erat apud Graecos, ut ii homines, qui bene de republica meriti essent, aureis coronis ornarentur, quo eodem honore totae se invicem civitates afficere solebant. Atque etiam senatus Atheniensium, si satisfecerat officiis suis, quotannis coronabatur. — Nunc restat, ut paucis ea absolvam, quae post Philippi mortem facta sunt usque ad illud tempus, quo iudicium habitum est.

§. 26. Philippus enim, occupato imperio Graeciae, quum jam in eo esset, ut magnum illud consilium, regno Persarum potiundi, exsequeretur, filiae suae nuptias celebrans a *Pausania* interfectus est (Ol. CXI, 1. a. Chr.

336). Cujus quidem rei nuntius summa a Graecis laetitia acceptus est; nam omnes sperabant, fore, ut Macedonum imperio liberarentur, praesertim quum Macedonia ipsa domesticis dissidiis de regni successione laboraret. Sed Alexander juvenis, qua erat virtute atque consilio, mox omnes adversarios domesticos vicit. Tum contra Graecos profectus est. Nam Athenis Demosthenes, gaudio de Philippi morte elatus, ad novas spes populum incitavit contemptimque de Alexandro dixit, quem *Μαργίτην*, i. e. hominem stupidum vocavit. Aesch. adv. Ctesiph. §. 77. 160. Ac statim sacrificia Athenienses faciebant, quod fieri laetis nuntiis allatis solebat, atque adeo Pausaniam, regis interfectorem, corona ornandum esse decreverunt. Neque Graecos solum Demosthenes concitare studuit, sed etiam barbaros, ob eamque causam epistolas et ad Attalum scripsit, qui ab Alexandro defecerat, et ad satrapas regis Persarum, a quibus pecunia adjutus esse ad arma comparanda videtur. Plut. Dem. c. 20. Ac tota paene Graecia in Alexandrum exstitit ejusque praesidia urbibus expulit. At hic ea, qua solebat, celeritate in Graeciam ingressus, rebus in Thessalia compositis, per Thermopylas penetravit Thebasque cepit, desertas illas quidem a ceteris civitatibus, quae nondum satis ad bellum paratae erant. Itaque Athenienses, regis iram deprecaturi, quod ejus hegemoniam, quam dicunt, non agnovissent, legationem ad eum miserunt, cui Demosthenes ipse interfuisse videtur. Eum, iram regis timentem, a Cithaerone reversum esse legatosque dereliquisse, Aeschines adv. Ctesiph. §. 161 narrat. Sed tunc quidem non graviter Alexander in Graecos consuluit, sed rebus ita compositis, ut omnia a voluntate sua penderent, in eo conventu, quem Corinthi habebat, summus dux contra Persas creatus est. Tum post reditum in Macedoniam copias in interiores Thraciae partes et in Illyriam duxit. Interim fama apud Graecos percrebuit, eum in Illyria cecidisse, id quod spem illorum erexit, Thebanorum maxime, qui Macedonum potentia prae ceteris premebantur.

Illi igitur legatis ad Athenienses, Arcades, Argivos et Eleos missis ad bellum contra Alexandrum provocant, Cadmeam, in qua regis praesidia erant, obsident ac duces ejus, Amyntam et Timolaum, in urbe interficiunt. Nec Demosthenes defuit; is civibus persuadere studuit, ut Thebanis auxilium ferrent; sed frustra. Idem pecunia denuo a Persis accepta arma paravit ac Thebas misit. Arcades autem, quum usque ad Isthmum cum exercitu opem Thebanis laturo penetrassent, subito terrore perculsi domum redierunt. Quibus de rebus certior factus Alexander incredibili celeritate e Paeonia, comitantibus Thessalis, in Boeotiam profectus Thebanos, qui ejus mandata exsequi volebant, atroci proelio vicit urbemque captam delevit (Ol. CXI, 2. a. Chr. 335). Dem. de cor. §. 40 sq. Aesch. adv. Ctesiph. §. 156. Pauci cives fuga Athenas elapsi sunt; plerique aut caesi aut capti sunt. Alexander octo vel decem oratores, qui verba contra ipsum fecissent, in iis Demosthenem et Lycurgum, sibi tradi jussit. Dem. de cor. §. 41. 322. Sed Demades orator, quem illi quinque talentis corruperant, precibus ab eo impetravit, ut postulatione illa absisteret et in gratiam cum urbe rediret.

§. 27. Tum rex Macedoniae, copiis in Graecia relictis, quae exstinguerent seditiones, si quae fierent, domum reversus bellum contra Persas paravit, in quod mox profectus est. Graeciam autem non copiis solum in officio tenuit, sed in singulis etiam civitatibus aluit consiliorum suorum ministros, quos non puduit, jactare divitias proditione paratas, jactare hospitium regis, cujus epistolas accipiebant, ut ejus mandata civitatibus suis aperirent. Dem. de cor. §. 296. Aesch. adv. Ctesiph. §. 250. Sed nimirum vires ille Graecorum, non animos devicerat, et alto pectore infixus dolor amissae libertatis haerebat. Mox oratores taciturnitatem rumpebant, ante omnes Demosthenes, qui regis principatum Graeciae servitutem esse aperte dixit hospitesque illius proditores vocavit. Tandem eo tempore, quo Alexander Persas ad Arbelam vicerat, bellum jam diu gliscens exarsit (Ol. CXII, 3.

a. Chr. 330). Etenim *Agis*, rex Lacedaemoniorum, qui cum Persarum rege conjunctus ab eoque pecunia ac navibus adjutus erat, postquam ad litora Asiae minoris plura contra Alexandrum molitus est, in Laconiam reversus contra Macedones hostiliter exstitit. Omnes Spartani ad arma vocabantur, Achaei, Elei, Arcades eos sequebantur. At Athenienses, quamquam eos Demosthenes ad auxilium illis ferendum adhortabatur, cum ceteris tamen Graecis inertes manebant. Itaque *Antipater*, quem Alexander in Macedonia et Graecia ducem copiarum reliquerat, in Peloponnesum celeriter profectus Spartanos ad Aegaeam, Arcadiae urbem, superavit; Agis ipse cum quinque millibus Lacedaemoniorum cecidit. Aesch. adv. Ctesiph. §. 167. Inde ab hoc tempore Alexander in Graecia quoque se deum haberi jussit, quod Athenienses, quum Demades, vilis ille orator, rogationem de hac re tulisset, initio denegaverunt, mox timore commoti, frustra renitente Demosthene, acceperunt. — — Sed satis mihi de iis rebus dixisse videor, quae ad orationem de corona pertinerent; ceteras narrare, quae post litem oratam gestae sint, a proposito meo alienum est. Ex omnibus autem, quae adhuc sunt commemorata, apparet, quam sit verum illud Sallustii: „*concordia res parvae crescunt, discordia maximae dilabuntur.*“ Nam quo tempore Athenienses summis viribus nitebantur, ut communem Graeciae hostem propulsarent libertatemque defenderent, eo et Lacedaemonii officiis suis defuerunt, et Thebani, qui aequo diutius favebant Philippo, sero opem tulerunt. Qui quum postea extrema tentarent, ut et se et Graeciam Macedonum imperio liberarent, nullam Graecarum civitatum adjutricem habebant. Postremi autem Lacedaemonii causam communis libertatis susceperunt; at deserti ab Atheniensibus et Thebanis, qui plurimum adhuc valuerant, vim Macedonum sustinere non potuerunt. Ita factum est, ut, quum nulla harum civitatum justo tempore subveniret, communis omnium hostis, singulis oppressis, cunctarum victor evaderet. — Nunc ad orationem de corona redeo.

§. 28. Nam post illam ad Aegaeam cladem Lacedaemoniorum, quum prorsus Demosthenis auctoritas fracta esse videretur, Atheniensibus timefactis, Aeschines, qui tum sexaginta annos natus erat, denuo veterem illam actionem in Ctesiphontem instituit, non qua huic noceret, sed Demostheni dignitatem omnem eriperet. Itaque in oratione sua maxime in vituperanda hujus ratione reipublicae administrandae versatur, ut, quod Cicero de opt. gen. orat. c. 7. dicit, *ulciscendi inimici causa, nomine Ctesiphontis, judicium fieret de factis* [saepe] *Demosthenis. Non enim tam multa dixit de rationibus non relatis, quam de eo, quod civis improbus, ut optimus, laudatus esset.* Illam igitur celeberrimam orationem contra Ctesiphontem habuit, in maximo hominum partim propter imminetiam Dionysia, partim ob celebritatem oratorum, qui hanc causam perorabant, collectorum conventu habuit. Cic. de opt. gen. orat. c. 7: *Ad quod judicium concursus dicitur e tota Graecia factus esse. Quid enim aut tam visendum aut audiendum fuit, quam summorum oratorum in gravissima causa accurata et inimicitiis incensa contentio?*

§. 29. Sed quoniam Demosthenis oratio de corona non satis recte intelligi potest, nisi ante lecta Aeschinis oratione contra Ctesiphontem, hujus certe argumentum praemittendum esse videtur. Quod in libello quidem accusationis Aeschines scripsit, id legitur apud Demosthenem de cor. §. 54 sq. Ipsius autem orationis hoc fere argumentum est.

A. In *prooemio* queritur de mala quadam consuetudine, quae in populi concionibus paullatim contra leges irrepserit; qua quum communis libertas dicendi impediatur, opus esse, accusare eos, qui rogationes legibus contrarias ferant; judicium esse, illas leges tueri. §. 1—8.

B. Jam *tractationem* ipsam incipiens haec dicit: Lex est apud Athenienses, quae vetat, civem ante rationes de publico munere redditas

coronari; in hanc autem legem peccavit Ctesiphon, rogationem ferens de coronando Demosthene, qui adhuc magistratus est nec rationes de suo munere retulit. §. 9—32.

C. Quod ad *locum* promulgationis coronandi Demosthenis attinet, contra leges Ctesiphon fecit; nam haec lex est: si senatus civem coronat, hoc in curia, si populus, in concione populi praedicandum est, non in theatro Dionysiis, novis tragoediis, ut illius rogatio postulat. §. 33—48.

D. Tum transitum facit ad tertiam eamque praecipuam orationis partem, Demosthenem corona non dignum esse neque propter virtutes neque ob benevolentiam suam in populum, quod ita demonstrare studet:

1. Privata vita Demosthenis vitiis non caret; et genus et vita juvenilis ei dedecori sunt, §. 49—53;

2. vita ejus, quantum in republica versabatur, in quatuor temporis partes divisa, non commodo reipublicae, sed damno ac perniciiei fuit, §. 53—57; etenim

a) Demosthenes praecipuus cum Philocrate auctor est pacis cum Philippo factae, quam quidem suo arbitratu, praemature, non exspectatis Graecorum legatis, in sociorum damnum composuit; idem, quamquam inhoneste legatis Philippi adulatus est, nuntio tamen de ejus morte allato indecoram prae se laetitiam tulit, §. 58—78;

b) immerito omnem ille culpam perniciosae pacis in solum Philocratem transtulit; quem ut perderet, ceteros quoque legatos de pace missos proditionis accusavit; semper novas cum Philippo lites de rebus minutis sectatus est, ac foedus reipublicae noxium cum perfidis Euboeensibus, a quibus erat corruptus, faciendum curavit, §. 79—105;

c) impie in Delphicum deum egit et Amphissenses sacrilegos tuitus est, ne illi poena afficerentur neve Athenienses bello contra eos interessent,

qua re, violato numine divino, iram dei in Athenienses commovit; idem auctor est, hos non jam de principatu, sed patriae terrae salute dimicare; praeterea foedus illud cum Thebanis, quod quamquam ex temporum necessitate factum est, ille tamen falso jactat vi suae eloquentiae esse effectum, et his et Atheniensibus et omnibus Graecis exitio fuit; in pugna Chaeroneensi ignavissimum sese exhibuit; omnino tam malo iste fato, quasi a daemone, agitur, ut, cuicumque cum eo negotium est, in perniciem ruat, §. 106—158;

d) post turpem ex proelio fugam inhoneste de Philippi morte gavisus est, ac male nunc judicat de Alexandro, cui clam adulatur; in legatione ad hunc commissa ignavum se gessit nec ea usus est occasione, qua commode Athenienses ad bellum contra illum commovere potuisset, §. 159—165.

3. Vituperatis ineptis quibusdam et rusticis verbis, quibus Demosthenes in orationibus usus sit, speciem hominis vere popularis ac formam effingit, cui Demosthenes nulla in re similis sit, quia neque a matre sit genuinus et ab avaritia, proditione, ignavia nullo modo abhorreat, §. 166—176.

4. Comparato Demosthene cum magnis illis viris, qui aetate majorum vixerint, quibusque nullae coronae, nulli singulares honores tributi sint, abusum talium praemiorum reprehendit ac docet, quae ex hisce rogationibus contra leges factis pericula parentur, §. 177—188.

E. In extrema orationis parte colligit, quae sint in hac re facienda, et quae huic actioni ratio adhibenda sit;

a) docet, reo ipsi verba pro se facienda esse; si vero iudices Demosthenem Ctesiphontis causam agere sinant, postulat, ut ille ordinem accusationis accurate sequatur, §. 189—205;

b) praecipit argumenta ac refutat, quae adversarios allaturos esse putat, §. 206—229;

c) hortatur iudices, ut Ctesiphontem una cum Demosthene damnent, atque illum quidem propter rogationem legibus contrariam, hunc autem, quod sit et a Persis et ab aliis civitatibus corruptus ac prorsus dissimilis aliis viris, qui coronati sint; quod eo coronato malum juventuti exemplum exhibeatur; quod cum peregrinis societatem inierit; quod denique alii sint viri corona digniores, §. 230—256.

F. In clausula orationis iudices admonet, ne sint immemores veterum legum eorumque virorum fortium, qui ad Marathona et Salamina contra eos ipsos hostes pugnaverint, quibuscum societatem Demosthenes fecerit, §. 257—260. —

Haec fere crimina Aeschines in adversarios attulit, Demosthenem maxime, quem nomine Ctesiphontis petebat. Eum autem ordinem callide tenens, quo in rogatione sua Ctesiphon usus erat, in duabus prioribus accusationis partibus de legibus illa rogatione violatis dicit, quia speravit, se hac parte, qua re vera plus valebat, iudicum mentes et animos ita capturum esse, ut in tertia quoque parte, quae pertineret ad res in republica gestas, ipsi faverent. Atque hoc consilio postulavit, ut Demosthenes causam eodem ordine diceret.

§. 30. At surrexit Demosthenes, qui tum quinquaginta annos natus erat, et *orationem de corona*, quam dicunt, habuit, in qua rejecta illa Aeschinis postulatione jus suum obtinet, sua voluntate defensionis ordinem constituendi. Itaque ab ea re exorditur, cui maxime confidere poterat, ab exponendis iis rebus, quas in republica gesserit, ut refutatis his adversarii criminibus, cetera quoque in suspicionem adducat. Ac nunc demum crimen de ratione non relata et de loco coronandi refellere studet. Paucis autem verbis in hisce rebus, quibus inferior erat, commoratus, postquam vehementer in Aeschinis vitam invectus est, ad suam reipublicae administrationem

redit. Ita gravissimis rebus et incepit orationem et clausit, inferioribus in medio positis, ut ab illis quasi tegerentur. Quint. inst. orat. VII, 1. 2: „*Sed meminerimus, ipsam dispositionem plerumque utilitate mutari. Cujus rei ut cetera exempla praeteream, Demosthenes quoque atque Aeschines possunt esse documento, in judicio Ctesiphontis diversum secuti ordinem, quum accusator a jure, quo videbatur potentior, coeperit, patronus omnia, vel paene omnia, ante jus posuerit, quibus judicem quaestioni legum praeparet. Aliud enim alii docere prius expedit.*“ Neque haec ratio oratorem fefellit. Quamquam enim Athenienses viribus fractis imperio Macedonum oppressi tenebantur, tamen libertatis studium in eorum animis residebat, ut aegre illud ferrent. Ita factum est, ut Demosthenem, acerrimum libertatis dignitatisque reipublicae vindicem, etiam tunc venerarentur ac libenter de rebus suis pro civitate gestis dicentem audirent paullatimque in oratione altius assurgentem benevolentioribus exciperent animis. Cic. orat. c. 8: „*Demosthenes — in illa pro Ctesiphonte oratione longe optima submissius a primo, deinde, dum de legibus disputat, pressius, post sensim incedens, judices ut vidit ardentes, in reliquis exultavit ardentius.*“ — Neque ei vitio tribui potest, quod multum in laude sua versatur. Non enim suo hoc impulsu, sed alieno fecit, ut vitam suam patriae dicatam defenderet contra vehementissimum adversarium et obtrectatorem, qui turpissima quaeque in eum congesserat. Recte Plutarchus aliquo loco dicit, veram virtutis dignitatem cerni in eo, quod invidiae impetibus non opprimatur. Est autem admiratione dignum, quanta ille arte auditorum laudem cum sua conjunxerit earumque rerum, quae ipse gesserit, auctores deos proposuerit fortunamque civitatis ipsam, nihil sibi nisi bonam voluntatem vindicans et animi integritatem. — Praeter hanc sui praedicationem vehementia orationis conviciaque conjecta in Aeschinem nonnullos homines, qui elegantiam jactant et urbanitatem, offenderunt. At talia ex temporum morumque

ratione judicanda sunt; illa enim aetate apud Athenienses, quamvis liberalis doctrinae scientia praediti essent, ejusmodi tamen convicia in judiciis non nova fuerunt. Praeterea Demosthenes turpissima quaeque et indignissima ab adversario suo audiverat; immo hic *Θηρίον* eum et *λίραδος* vocaverat (adv. Ctesiph. §. 167 et 182). Merito igitur ille dicere poterat: „Non tractabo eum ut civem, ne ille quidem me ut civem“, quod idem fere Cicero Phil. II. c. 5 de Antonio dicit: „*Simul illud oro: si meam quum in omni vita, tum in dicendo moderationem modestiamque cognostis, ne me hodie, quum isti, ut provocavit, respondero, oblitum esse putetis mei: Non tractabo ut consulem: ne ille quidem me ut consularem*“¹. — Et si in his orationibus contraria omnia videmus, si alter in alterum summa confert maledicta, se autem ipsum integrum civem ac bonum exhibet, si eaedem res, eaedem leges aliae in alterius ore apparent, quis est, qui non facile in iis rebus, quae maxime rem causamque contineant, in partes Demosthenis eat? Atque huic quidem summam patriae tuendae constantiam invictumque studium conservandae dignitatis ejus victoriam paravisse putandum est. Vim enim dicendi orationisque gravitatem et elegantiam in utraque fere aequalem fuisse jam veteres monuerunt et hodie quoque agnoscitur².

¹ *Passow*, Encyklopädie II. Th. S. 75: „Beide Redner beobachteten sich mit gegenseitigem Misstrauen, und mit dem politischen Hasse wuchs der persönliche, da jeder den andern durchaus zu vertilgen wünschte, und mit dem Systeme des Gegners dessen ganzes Dasein verknüpft war. Selbst Künstlereifersucht, da beide durch sehr verschiedene Rednergaben zu wirken suchten, mag ein Reizungsmittel mehr gewesen sein.“ —

² *Derselbe*, in dem angeführten Buche S. 78: „Die Vereinigung der seltensten, zum Theil fast entgegengesetzten Rednertugenden hätte ihn (Aeschines) vielleicht zu gleicher Höhe mit Demosthenes gehoben, wenn dieselbe unerschütterliche Vaterlands-

Ita Demosthenes superior ex hac pugna discessit. Athenienses vero, probata ejus causa, suas quoque laudes praedicaverunt. Aeschines quum se victum videret, ne expectavit quidem clausulam orationis Demosthenis ac sententiam judicum, sed ante illam forum reliquit, ut patria decederet. Ne quintam quidem suffragiorum partem accepit. Hinc damnatus, quum mulctam mille drachmarum pendere nollet, demigravit. *Westermannius* de litibus Demosthenis p. 87 sqq. probare studet, non statim eum post judicium reliquisse Athenas, sed aliquot annos ibi moratum esse. Eum Demosthenes, si vera Plutarchi (orat. X.) fabula est, navem conscendentem, ut in Asiam minorem proficisceretur, invenit ac data pecunia ad iter faciendum adjuvit. Primum ille in Joniam et Cariam profectus est; tum post Alexandri mortem Rhodum se contulit, ubi artem oratoriam docuit. Cic. de orat. III. 56: „*Aeschines quum propter ignominiam judicii cessisset Athenis et se Rhodum contulisset, rogatus a Rhodiis legisse fertur orationem illam egregiam, quam in Ctesiphontem contra Demosthenem dixerat; qua perlecta petatum est ab eo postridie, ut legeret illam etiam, quae erat contra a Demosthene pro Ctesiphonte edita. Quam quum suavissima et maxima voce legisset, admirantibus omnibus: Quanto, inquit, magis admiraremini, si audivissetis ipsum.*“ —

Demosthenem autem bonum civem ac probum fuisse, vel hinc intelligitur, quod, quum in turbulentissima reipublicae tempestate in administranda

liebe, derselbe eines tragischen Helden würdige Hochsinn seinen Werken die grossartige, sich überall in gleicher Schweben bewahrende Haltung, diesen sittlichen, das Ganze erst weihenden Verband gegeben hätte, den wir bei Demosthenes als das Höchste bewundern, und ohne den die Rede sich zu gröberer oder feinerer Sophistik entwürdigt.“ —

ea versaretur ac multos homines improbos accusaret, ipse postulatus est nunquam, nisi post pugnam Chaeroneensem et in causa Harpalica, quibus in causis inimici ejus temporibus adjuti facile se impugnare eum posse opinabantur, quem alio tempore in judicium vocare non ausi sunt.“ — V. *Becker*: Demosthenes als Staatsmann und Redner. *Niebuhr*: Kleine historische und philosophische Schriften.



VORLESUNGEN

I. DER THEOLOGISCHEN FACULTÄT.

PROFESSOR DR. HELM liest: 1) Moralthologie, nach Stapf, wöchentlich 5mal von 11—12 Uhr; 2) Pastoraltheologie, a) den didaktischen Theil mit Hinweisung auf Gollowitz und Hirscher; b) den liturgischen Theil mit Hinweisung auf Marzohl's Liturgia sacra, wöchentlich 4mal in noch zu bestimmenden Stunden.

PROFESSOR DR. VALENTIN REISSMANN: 1) Erklärung des Jesaia, wöchentlich 5mal von 8—9 Uhr; 2) Mosaisches Ritualgesetz, wöchentlich 3mal in schicklichen Stunden; 3) hebräische Sprache für den II. Cursus mit praktischen Uebungen, wöchentlich 2mal von 2—3 Uhr; 4) arabische Sprache nach Jahn's Grammatik, mit Uebersetzungs-Uebungen, in passenden Stunden.

PROFESSOR DR. SCHWAB: 1) Kirchengeschichte, nach eigenem Plane mit Hinweisung auf die Lehrbücher von Alzog und Döllinger, wöchentlich 3mal von 3—4 Uhr; 2) Kirchenrecht, nach Walter, wöchentlich 5mal von 8—9 Uhr.

PROFESSOR DR. DEPPISCH: 1) Theologische Encyclopädie, nach eigenem Plane, als Einleitung zu seinen dogmatischen Vorlesungen; 2) christliche Apologetik, nach eigenem Plane, mit Beziehung auf Klee, wöchentlich 5mal von 9—10 Uhr; 3) katholische Sakramentenlehre, wöchentlich 3mal in gelegenen Stunden.

PROFESSOR DR. SEBASTIAN REISSMANN: 1) Erklärung der Corinther-Briefe, täglich von 10—11 Uhr; 2) hebräische Sprache mit praktischen Uebungen für den I. Cursus, wöchentlich 2mal von 2—3 Uhr; 3) arabische Sprache mit praktischen Uebungen in noch zu bestimmenden Stunden; 4) syrische und chaldäische Sprache in noch zu bestimmenden Stunden.

II. DER JURISTISCHEN FACULTÄT.

PROFESSOR DR. ALBRECHT liest: Gemeinen deutschen und bayerischen Civilprozess nach eigenem Plane, täglich von 8—10 Uhr; 2) Geschichte des römischen Civilprozesses, publice, wöchentlich 2mal von 3—4 Uhr, Dienstag und Donnerstag.

PROFESSOR DR. EDEL: Gemeines und bayerisches Strafrecht nach Heffter, täglich von 10—11 Uhr.

PROFESSOR DR. MÜLLER: 1) Gemeines deutsches Staats- und Bundesrecht, täglich von 11—12 Uhr; 2) französisches Civilrecht, täglich in zu bestimmenden Stunden, nach eigenem Plane.

PROFESSOR DR. HELD: 1) Die bayerischen Landrechte, nach eigenem Plane, täglich von 8—9 Uhr; 2) gemeines deutsches Privatrecht nach seinem Grundrisse (Würzburg bei Stahel), 5mal wöchentlich von 2—3 Uhr und 3mal, nämlich Montags, Mittwochs und Freitags, von 3—4 Uhr.

HOFRATH und PROFESSOR DR. LANG: 1) Institutionen des römischen Rechts nach eigenem Lehrbuche (Stuttgart und Tübingen 1837), wöchentlich 5mal von 10—12 Uhr; 2) Hermeneutik und Kritik des römischen Rechts, wöchentlich 4mal von 4—5 Uhr.

PROFESSOR DR. BREITENBACH: 1) Rechtsphilosophie mit Hinweisung auf Stahl und Warnkönig, wöchentlich 4mal von 9—10 Uhr; 2) Rechtsencyclopädie und Methodologie mit Hinweisung auf Falk, wöchentlich 3mal von 3—4 Uhr, nach eigenem Plane.

PRIVATDOCENT DR. PÖZL: 1) Französisches Civilrecht, besonders mit Rücksicht auf dessen Anwendung in der Pfalz, nach eigenen Heften, wöchentlich 5mal; 2) gemeines deutsches Staatsrecht, nach eigenem Plane, täglich von 11—12 Uhr; 3) die Lehre von den Landständen nach gemeinem deutschem und bayerischem Staatsrechte, wöchentlich 2mal, publice.

III. DER STAATSWIRTSCHAFTLICHEN FACULTÄT.

PROFESSOR DR. GEIER liest: 1) Landwirthschaftslehre nach seinem Lehrbuche und mit Benützung der Sammlungen für Karpologie und landwirthschaftliche Maschinenkunde, wöchentlich 4mal von 11—12 Uhr; 2) Technologie nach Bernoulli mit chemischen

und mechanischen Demonstrationen und mit Vorzeigung von rohen Stoffen, Fabrikaten und Modellen aus dem technologischen Kabinete, wöchentlich 4mal von 9—10 Uhr; 3) Bergbaukunde nach Brard in noch zu bestimmenden Stunden; 4) Encyclopädie der Cameral-Wissenschaften für Juristen und künftige Administrationsbeamte jeder Art, mit Hinweisung auf eine eigene früher erschienene Abhandlung, auf die Schriften von Rau und auf die vaterländischen Gesetze, täglich in noch zu wählender Zeit.

PROFESSOR DR. EDEL: Polizeiwissenschaft und Polizeirecht, nach eigenem Plane, täglich von 9—10 Uhr.

PROFESSOR DR. DEBES: 1) Encyclopädie, Methodologie und Literärgeschichte der Cameralwissenschaften nach K. H. Rau's Grundriss, wöchentlich 2mal in noch zu bestimmenden Stunden; 2) Nationalökonomie nach eigenen Heften und mit Hinweisung auf Rau's Lehrbuch der politischen Oekonomie (1. und 2. Band), täglich von 2—3 Uhr und ausserdem noch 2mal wöchentlich zu schicklichen Stunden; 3) Finanzwissenschaft mit besonderer Rücksicht auf die bayerische Finanzgesetzgebung nach Rau's Grundsätzen, 6mal wöchentlich in noch zu wählenden Stunden.

IV. DER MEDICINISCHEN FACULTÄT.

HOFRATH UND PROFESSOR DR. TEXTOR liest: 1) Theoretische Chirurgie, täglich von 5—6 Uhr und 2mal von 2—3 nach Chelius; 2) Instrumenten-, Operations- und Verbandlehre nach seinen Grundzügen zur Lehre von den Operationen, 3mal wöchentlich von 2—3 Uhr; 3) chirurgischen Operationscursus an Leichen, privatissime; 4) chirurgische Klinik, täglich von 10—11 Uhr im Julioshospitale.

HOFRATH UND PROFESSOR DR. MÜNZ: 1) Allgemeine und besondere physiologische Anatomie des Menschen nach seinem Handbuche, täglich von 11—12 Uhr; 2) Anatomie der angeborenen Bildungsfehler und der Hernien, in noch zu bestimmenden Stunden nach eigenen Heften, privatissime; 3) Repetitorium und Examinatorium der Anatomie des Menschen, in noch zu bestimmenden Stunden, privatissime; 4) leitet derselbe die Secirübungen an der anthropotomischen Anstalt.

HOFRATH und PROFESSOR DR. VON MARCUS: 1) Spezielle Pathologie und Therapie, und zwar die Krankheiten der einzelnen Organe, 5mal wöchentlich von 11—12 Uhr; 2) Geschichte der Medizin als Einleitung zur speziellen Pathologie; 3) Propädeutik zur praktischen Medizin, als Repetitorium und Examinatorium, 3mal wöchentlich in noch zu bestimmenden Stunden, publice; 4) medizinische Klinik, täglich von 9—10 Uhr im Juliushospitale.

PROFESSOR DR. NARR: 1) Semiotik nach Albers, 5mal wöchentlich von 8—9 Uhr; 2) Anleitung zur ärztlichen Praxis, nach eigenem Plane, 2mal wöchentlich in noch zu bestimmenden Stunden; 3) Casuisticum medicum, in noch zu bestimmender Zeit.

PROFESSOR DR. HENSLER: 1) Encyclopädie und Methodologie der medizinischen Wissenschaften, nach eigenem Entwurfe, wöchentlich 2mal von 2—3 Uhr; 2) allgemeine Biologie oder Philosophie der lebenden Natur, nach eigener Bearbeitung mit steter Hinweisung auf die neuesten Fortschritte in dieser Wissenschaft, wöchentlich 2mal von 3—4 Uhr; 3) allgemeine Physiologie des Menschen, nach eigenem Plane, mit Beziehung auf die einschlägigen neuesten Werke, wöchentlich 3mal von 3—4 Uhr.

PROFESSOR DR. RINECKER: 1) Arzneimittellehre, und Rezeptirkunde nach Oesterlen's Handbuch der Heilmittellehre, Tübingen 1845, 5mal wöchentlich; 2) allgemeine Anatomie mit gleichzeitiger Berücksichtigung der pathologischen Säfte und Gewebe, nach Henle und F. Vogel, 4mal wöchentlich; 3) Poliklinik, täglich von 12—1 Uhr; 4) leitet er die Uebungen am physiologischen Institute.

PROFESSOR DR. SCHMIDT: 1) Staatsarzneikunde nach Henke und Frank, wöchentlich 3mal von 3—4 Uhr; 2) Veterinärmedizin nach Veith, wöchentlich 2mal von 3—4 Uhr.

PROFESSOR DR. ADELMANN: 1) Augenheilkunde mit klinischer Anleitung, wöchentlich 5mal von 11—12 Uhr; 2) chirurgische Verandlehre, wöchentlich 2mal von 5—6 Uhr.

PROFESSOR DR. SCHERER: 1) Physiologische und pathologische Chemie, wöchentlich 3mal; 2) chemisch-analytisches Praktikum, privatim; 3) Stöchiometrie, wöchentlich 1mal.

PROFESSOR DR. MOHR: 1) Repetitorium und Examinatorium über die gesammte spezielle Pathologie und Therapie, wöchentlich 6mal von 4—5 Uhr; 2) Lehre von den Krankheiten des Nervensystems, wöchentlich 5mal in noch zu bestimmenden Stunden; 3) Anleitung zu Leichenöffnungen überhaupt und zu gerichtlichen Leichenöffnungen insbesondere.

PROFESSOR DR. HOFMANN: 1) Das Theoreticum der Geburtshilfe in wöchentlichen 6 Stunden; 2) den geburtshilflichen Operationscurs in wöchentlichen 4 Stunden.

PROFESSOR DR. SCHENK: 1) Microscopische Untersuchungen der thierischen und pflanzlichen Gewebe, verbunden mit Selbstübungen der Zuhörer; 2) Repetitorium und Conservatorium über Botanik.

PROFESSOR DR. HEINE: 1) Operationsübungen und physiologische Experimente mit dem Osteotome, 2mal wöchentlich von 5—6 Uhr; 2) Beiträge zur Lehre von der Wiederzeugung der Knochen mit Nachweisung darauf bezüglicher Präparate, publice, in noch zu bestimmenden Stunden.

PROFESSOR DR. BERAZ: 1) Physiologie des Menschen, nach eigenen Heften, mit besonderer Rücksicht auf das praktische Bedürfniss des Arztes, wöchentlich 5mal von 10—11 Uhr; 2) vergleichende Anatomie, nach Rudolph Wagner's Handbuch, wöchentlich 4mal von 3—4 Uhr.

PRIVATDOCENT DR. SCHUBERT: Polizeilich-gerichtliche Chemie, nach Hünefeld.

PRIVATDOCENT DR. TEXTOR: 1) Ueber Knochenkrankheiten, 3mal die Woche von 1—2 Uhr; 2) chirurgische Anatomie, 3mal die Woche von 1—2 Uhr.

Die Wiederbesetzung der erledigten Professur der Geburtshilfe wird spätestens bis zum Beginne des Wintersemesters erfolgt sein.

V. DER PHILOSOPHISCHEN FACULTÄT.

PROFESSOR DR. DENZINGER liest: 1) Länder- und Völkerkunde mit Statistik, unter Hinweisung auf Fränzl, 5mal wöchentlich von 11—12 Uhr; 2) europäische Staaten-geschichte, 5mal in jeder Woche von 8—9 Uhr; 3) über Einhardi vita Caroli Magni nach der Ausgabe von Pertz (Hannover 1839), 2mal wöchentlich in noch zu bestimmenden Stunden.

PROFESSOR DR. FRÖHLICH: 1) Spezielle Pädagogik und Didaktik, hauptsächlich in Beziehung auf die deutschen Schulen und ihre zeitgemässe Behandlung, nach eigenen Ansichten, mit Hinweisung auf Denzel's Einleitung in die Erziehungs- und Unterrichtslehre für Volksschullehrer, wöchentlich 4mal von 8—9 Uhr; 2) Encyclopädie und Methodologie der Gymnasialstudien, nach eigenen Ansichten, unter Hinweisung auf Klumpp: „Die gelehrten Schulen nach den Grundsätzen des wahren Humanismus und den Anforderungen der Zeit“, wöchentlich 4mal von 3—4 Uhr.

HOFRATH und PROFESSOR DR. OSANN: 1) Der Physik und Chemie I. Theil, unter Berücksichtigung der Handbücher von Pouillet, Eisenlohr und L. Gmelin, täglich von 10—11 Uhr; 2) analytische Chemie, mit praktischen Uebungen, täglich in geeigneten Stunden.

PROFESSOR DR. LEIBLEIN: 1) Zoologie, mit Hinweisung auf seine Grundzüge einer methodischen Uebersicht des Thierreiches und auf Wiegmann's und Ruthe's Handbuch der Zoologie (2. Auflage, Berlin 1843), wöchentlich 5mal von 2—3 Uhr; 2) Organographie und Physiologie der Pflanzen nebst Theorie der verschiedenen Classificationen der Gewächse, mit Benützung von Schleiden's, sowie Endlicher's und Unger's Grundzügen der Botanik (Wien 1843), 3mal wöchentlich von 11—12 Uhr; 3) Naturgeschichte der kryptogamischen Gewächse, mit besonderer Berücksichtigung der einheimischen Gattungen, nach eigenem Plane, 2mal wöchentlich in geeigneten Stunden.

PROFESSOR DR. HOFFMANN: 1) Encyclopädie und Methodologie des akademischen Studiums; 2) Anthropologie und Psychologie; 3) Logik und Metaphysik, wöchentlich 5mal von 9—10 und von 10—11 Uhr.

PROFESSOR DR. RUMPF: 1) Mineralogie nach Fuchs' Naturgeschichte des Mineralreichs, 4mal wöchentlich von 3—4 Uhr; 2) pharmazeutische Chemie mit Berücksichtigung von Geiger's Handbuch und Hinweisung auf die verschiedenen Pharmakopöen, wöchentlich 6mal von 8—9 Uhr.

PROFESSOR DR. LUDWIG: Länder- und Völkerkunde nach eigenen Heften, mit Hinweisung auf Fränzl's Statistik.

PROFESSOR DR. MAYR: 1) Elementarmathematik, wöchentlich 5mal von 2—3 Uhr; 2) Forstmathematik, wöchentlich 3mal von 3—4 Uhr; 3) Astronomie, wöchentlich 3mal von 3—4 Uhr.

PROFESSOR DR. CONTZEN: 1) Weltgeschichte nach Wachler, wöchentlich 4mal von 3—4 Uhr; 2) bayerische Geschichte, nach eigenem Plane, mit Rücksicht auf Rudhart, wöchentlich 5mal von 8—9 Uhr; 3) Geschichte Deutschlands unter den sächsischen Kaisern, mit besonderer Benützung der Quellen in Pertz's Monum. histor. germ., wöchentlich 3mal in geeigneten Stunden.

PROFESSOR DR. REUTER: 1) Archäologie der Griechen und Römer, 5mal wöchentlich von 9—10 Uhr; 2) Encyclopädie der Philologie und römische Literaturgeschichte,

3mal wöchentlich von 8—9 Uhr; 3) Sophoclis Oedipus Coloneus, 2mal wöchentlich von 8—9 Uhr; 4) Demosthenis oratio de corona, mit lateinischen Uebungen, 2mal wöchentlich in noch zu bestimmenden Stunden, privatissime.

PROFESSOR DR. REUSS: 1) Geschichte der deutschen Literatur, verbunden mit deutscher Handschriftenkunde, nach Koberstein und Hoffmann, wöchentlich 2mal; 2) Erklärung des Renners des Hugo von Trimberg, nach der neuen Bamberger Ausgabe, wöchentlich 1mal in noch näher zu bestimmenden Stunden.

Unentgeltlichen Unterricht in der *Tonkunst*, sowohl in der Instrumental- als Gesang-Musik, erhalten die Studirenden in dem musikalischen Institute.

Höhere Zeichenkunst lehrt PROFESSOR STÖHR; *Kupferstecherkunst* BITHÄUSER; für *Reitkunst* wird die Wiederbesetzung der Lehrstelle demnächst erwartet; *Fechtkunst* BÜNDGENS.

Die Universitätsbibliothek steht offen am Montag, Dienstag, Donnerstag und Freitag von 9—12 und von 2—4; am Mittwoch von 9—12 Uhr.

Das antiquarische Museum und das Münzcabinet am Samstag von 11—12 Uhr.

Das ästhetische Attribut am Samstag von 10—12 Uhr.

Das technologische Cabinet am Mittwoch von 10—12 Uhr.

Das physicalische Cabinet am Mittwoch und Samstag von 3—4 Uhr.

Die Sternwarte am Samstag von 2—4 Uhr.

Das chemische Laboratorium und die pharmazeutische Sammlung am Samstag von 10—12 Uhr.

Die zoologisch-botanische Abtheilung des Naturaliencabinets am Samstag von 9—10 Uhr.

Die mineralogische Abtheilung desselben am Mittwoch von 3—5 Uhr.

Der botanische Garten täglich, mit Ausnahme der Sonn- und Feiertage, von 9—11 und von 3—4 Uhr.

Die anthropotomische Sammlung am Montag von 9—12 Uhr.

Die zootomische Sammlung am Donnerstag von 9—12 Uhr.

Das chirurgische Instrumentarium am Mittwoch und Samstag von 1—2 Uhr.
